دياطاسارون

الذي

جمعه طظيانوس من المبشرين الاربعة

SEU

# TATIANI

# EVANGELIORUM HARMONIAE

## ARABICE

NUNC PRIMUM

EX DUPLICI CODICE EDIDIT

ET

TRANSLATIONE LATINA DONAVIT


P. AUGUSTINUS CIASCA

ORD. EREMIT. S. AUGUSTINI

BIBLIOTHECAE AP. VATICANAE

SCRIPTOR

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXVIII.



31059

LEONI . XIII

TATIANI

HARMONIAE . EVANGELICAE

ARABICAM . EX . DVPLICI . CODICE

INTERPRETATIONEM

EAMQVE . LATINE . REDDITAM

AVGVSTINVS . CIASCA . SODALIS . AVGVSTINIANVS

OFFERT . DEDICAT

QVINQVAGESIMVM . SACERDOTII . ANNVM

VNANIMI . TOTIVS . CHRISTIANI . ORBIS . LAETITIA

PRAETERGREDIENTI

QVEM . DEVS . OPTIMVS . MAXIMVS

ECCLESIAE . SVAE

DIV . INCOLVMEM . SOSPITEMQVE . SERVET

In dissertatione, quam ineunte anno 1883 scripsi super codicem arabicum XIV Bibliothecae Vaticanae *a*), quique continet Tatiani Evangeliorum Harmonias, τὸ διὰ τεσσάρων Εὐαγγέλιον, nuncupatas, propositum patefeci integre publicandi, si quando foret otium, istud primitivae Ecclesiae magni momenti documentum. Verum cum eo ferme tempore edere coepissem fragmenta biblico-sahidica *b*), opus hoc ab alio me prorsus avocavit. Imo animo reputans alterum hoc me plures annos habiturum, alterius curam abieci. Hinc vero, cum anno 1885 comperissem, Professorem Paulum de Lagarde in votis habere publicandi arabicum codicem, libenter eidem obtuli apographum, quod ex codice ipso exscripseram, monens tamen ut cum originali conferret. Ego enim currenti quasi calamo descripseram, mecum ratus, rursum ipsum cum manuscripto comparandi, si quando typis mandare statuissem. De Lagarde apographum accepit, atque proximo Novembri ipsi edendo manum admovit. At vero die 16 mensis sequentis rursum per litteras mihi significavit, se id operis minime prosequi posse tum defectu temporis, quod aliis detinebatur, tum typorum inopia, qua menses 25 eidem perficiendo impendere debuisset *c*). Res non parum mihi displicuit, virisque doctis, qui ex mea dissertatione vehemens desiderium conceperant integrum Tatiani opus habendi.

Verum sequenti anno res in melius vertit. Cum enim eo temporis Romae moraretur Rm̃us Antonius Morcos, Catholicorum Coptorum Visitator Ap., Vaticanamque Bibliothecam adiisset, ipsi, cum alios codices, tum arabicum XIV ostendi, quem vix ac inspexit, ait reperiri in Aegypto penes virum catholicum consimile exemplar, copiamque habere ipsius

*a*) Cfr. in doctissimo opere Em̃i Cardinalis I. B. Pitra *Analecta Sacra Spicilegio Solesmensi parata*, T. IV, pag. 465, *De Tatiani Diatessaron arabica versione.*

*b*) Huius operis lucem aspexit Vol. I, et iam alterum praesto est.

*c*) Septem tantum pagellas impressit, quas edidit in *Nachricten von der Königlichen Gesellschaft der Wissenschaften und der Georg-Augusts-Universität zu Göttingen*, 17 März 1886, N°. 4, pagg. 151-158.

Romam afferendi. Revera mense Augusti eiusdem anni ipse, nomine cuiusdam Halim Dos Galî copto-catholici aegyptii, Musaeo Borgiano S. C. de Propaganda Fide arabicum codicem obtulit elegantissimum *a*), librarii eximio opere, ac more orientali structum, atque charta flavi coloris (vulgo sinensi) nitidissime exaratum. Constat hic codex foliis 355. Anni nota prorsus caret, videtur tamen ad saec. XIV saltem referendus. Unaquaeque vero pagina est cent. 22 ½ × 16, habetque lineas 11 clausas aureis, caerulis rubrisque lineis, quadrata forma connexis, punctaque aurea, eaque forma maiori, in fine versuum. Binae vero priores paginae, et quae sub numeris 96 v.-97 r., quas phototypia expressas dedi, arabico eoque multicolore ornatu insignes sunt.

Statim ac codicem hunc vere pretiosum in manibus habui, eiusque summam utilitatem perspexi, ratus sum ipsum typis mandare in commodum eorum praesertim, qui rebus orientalibus aut biblicis navant operam, vix ac id efficiendi occasionem nanciscerer. Et quidem occasio, vere felix ac peropportuna, non diu abfuit. Cum enim anno elapso Collegium Scriptorum Vaticanae Bibliothecae Summo Pontifici Leoni XIII statuisset, faustissime recurrente Eiusdem sacerdotali iubilaeo, specimen aliquod offerre sive artisticum, sive scientificum, sive litterarium, ut, una cum orbe catholico, suam ipsius laetitiam ac reverentiam Eidem testaretur, eo ipso putavi fragmentorum sahidicorum publicationem esse parumper abrumpendam, atque iuris publici facere perantiquum monumentum, quod his duobus codicibus, hactenus tantum notis, continetur.

Codicis Vat. XIV descriptionem, quam luculentam alibi dedi *b*), nunc praetermitto, ut aegyptiacum potius considerem. Foliis 1–85 habetur praefatio super Evangelia, in qua anonimus auctor, postquam ostendit quibus dotibus liber quilibet ornari debeat, ut revera utilis sit, easque in Evangeliis reperiri, de divinis attributis disserit, in primis vero de unitate ac simplicitate, quae ab Evangeliis potissimum manifestari demonstrat; loquitur insuper de sapientia Dei in novae Legis promulgatione, qua gentes omnes, idololatria excussa, ad Christum venerunt. Quo in tractato, eruditionis pleno, cuius ob temporis angustias unum dedi argumentum, auctores plures citantur in antiquitate celebriores, uti Zoroaster, Aristoteles, Hermes, Ammonius, Eusebius Caesareensis, Gregorius Arme-

---

*a*) Fol. 1 v. eiusdem codicis latine legitur: *Ex dono Halim Dos Gali viri inter Coptitas catholicos religione, genere, animi nobilitate praecipui Sanctae Sedi Romanae addictissimi.* – A. D. MDCCCLXXXVI. Ad calcem vero libri haec arabice habentur: هديّة من حليم دوس غالي القبطيّ الكاثوليكيّ الى الكرسي الرسوليّ . سنة ١٨٨٦ للمسيح .

*b*) Dissert. cit., p. 6, et seq.

nus, Ibn Attîb non semel, aliique non pauci. Tatiani opus incipit fol. 96 v., explicitque fol. 353 r.

Modo, ut ad intrinseca veniam, manuscriptum hoc Vaticani codicis lacunas implet, easque enodat difficultates, quae ansam praebebant dubitandi non modo de arabici textus integritate, sed etiam de genuitate eius, nempe an Tatiani opus vere repraesentet. Revera Vaticanus liber mutilus est ante folia 17 et 117, ubi plures desunt pericopae *a*). Hae vero prostant in manuscripto Borgiano, quod proinde integras exhibet Evangeliorum arabicas harmonias, quales-penes orientales ecclesias conservatae sunt.

Praeterea manuscriptum hoc amovet discrepantiam, merito a Zahn *b*) adnotatam, textum arabicum inter ac syriacum Diatessari, quoad initium utriusque. Scriptores namque, qui de harmonia syriaca mentionem fecere, statuunt, ipsam exordiri a s. Ioannis I, 1 «*In principio erat Verbum*». Dionysius enim Barsalibî, Episcopus Amidae in Mesopotamia, qui obiit anno 1171, praefatione in Evangelium s. Marci haec ad rem habet: «Tatianus discipulus Iustini philosophi et martyris, elegit e quatuor evangeliis et connexuit et confecit evangelium, quod Diatessaron nuncupavit, i. e. miscellaneum. Hunc librum interpretatus est s. Ephraem. Exordium eius fuit: *In principio erat Verbum* *c*). Huic consonat Bar-hebraeus, Iacobitarum primas, florens saeculo XIII, qui in libro, cui titulus «*Horreum Mysteriorum*», praefatione in Matthaeum, scribit: «Eusebius Caesareensis videns corruptelas, quas Ammonius Alexandrinus in evangelium Diatessaron, i. e. miscellaneum, nuncupatum, induxerat, cuius exordium: *In principio erat Verbum*, et quod s. Ephraem interpretatus est, quatuor evangelia integra, ut sunt in textu, servavit, sed consensionem verborum communi canone notavit» *d*). «Bar-hebraeus hoc in loco, iure observat

---

*a*) Primo in loco sequentes desiderantur pericopae: Luc. VI, 6–9; Marc. III, 4–5; Matth. XII, 11–12, 14–21; Luc. VI, 12–13; Marc. III, 7–12; Luc. VI, 18–19: in altero vero desunt: Luc. XXIII, 55–56$^{a}$; Marc. XVI, 1; Luc. XXIII, 56$^{b}$; Matth. XXVII, 62–XXVIII, 1$^{a}$; Luc. XXIV, 1$^{a}$; Matth. XXVIII, 1$^{b}$; Luc. XXIV, 1$^{b}$; Marc. XVI, 3-4$^{a}$; Matth. XXVIII, 2$^{a}$; Luc. XXIV, 2$^{a}$; Matth XXVIII, 2$^{b}$–4; Luc. XXIV, 5; Matth. XXVIII, 5–6; Luc. XXIV, 4–7.

*b*) *Forschungen zur Geschichte des neutestament. Canons etc. I. Theil, Erlangen,* 1881, p. 296.

*c*) ... Assemani, Bibl. Orient. II, p. 159.

*d*) ... Ibid. I, p. 57.

Moesinger *a*), in duplici errore versatur; primum enim Ammonium Alexandrinum, alius harmoniae Evangeliorum auctorem, permutat cum Tatiano, quod ex indicato initio huius Diatessari et memorata explicatione s. Ephraemi clare apparet, dein erronee Eusebium hoc Diatessaron Tatiani emendasse asserit, quum ipse testetur, se ad Ammonii opus canones suos adiecisse ». Quodvis vero de hac re dubium aufertur ex Commentario s. Ephraemi super ipsum Diatessaron syriacum. Revera in hoc commentario explanatio s. Doctoris exorditur a verbis s. Ioannis: « *A principio erat Verbum* ». Quapropter certum omnino est ab iisdem verbis harmonias Tatiani incepisse. Atque hinc praecise dubium oriebatur de genuinitate Diatessari arabici codicis Vaticani; quod dubium quamvis probabilibus argumentis ego ipse amovere studuerim in citata dissertatione, non erat certe omnino dilutum. Vat. enim codex loco incipiendi a Ioan. I, 1, videtur potius exordiri a Marc. I, 1. Praemissa enim doxologia, legit: اول بشارته, et spatio aliquo interiecto: ابتدا اول بشارته, deinde, linea vacua relicta, prosequitur: من مرقس قول مبدء بشارة ايسوع المسيح ابن الله, quae ab Assemano vertuntur: *Exordium primum Evangelii ex Marco. Dixit: Initium praedicationis Iesu Christi. Ioannes: In principio erat Verbum b*). Diversimode Rosenmüller penes Zahn *c*): *E Marco. Initium Evangelii eius, et dixit: Initium Evangelii Iesu Messiae, Filii Dei. Ioannes. Initium Evangelii eius.*

De bina hac interpretatione scripsi *d*): « Haec postrema verba: *Initium Evangelii eius,* primitus a nobis arabice relata, et ab Assemano prorsus omissa, a Rosenmüller arbitrario subnectuntur nomini Ioannis: cum illa neque ad Marcum, neque ad Ioannem referri possint; sed, ut patet, a calligrapho, vel, ut probabilius videtur, ab altera manu adiecta sint ad tituli defectum supplendum, ne opus abrupte inciperet ». Et addidi: « Supponi etiam potest, amanuensem ea in margine exemplaris, quod transcribebat, invenisse, quemadmodum in codice nostro habentur quatuor priores versiculi Lucae, et, ut calligraphorum mos erat, textui inseruisse. In utraque hypothesi hoc factum esset, ut indicaretur opus Evangelium continere, hocque incipiendum: *Initium Evangelii Iesu Christi, Filii Dei* ». Iam prima hypothesis, verba nempe controversa ad Diatessaron minime pertinuisse, sed addita fuisse ad tituli defectum supplendum, ex manuscripto Borgiano apprime confirmatur. Hoc enim in fine prologi legit: ابتدا من اول ۞ وقال مبتدأ بشارة يسوع بن الله الحي ۞ , κατὰ γράμμα: *Incepit ab*

---

*a*) *Evangelii concordantis Expositio facta a s. Ephraemo Doctore Syro, in latinum translata a I. B. Aucher Mechitarista, cuius versionem emendavit etc. Dr. G. Moesinger. Venetiis 1876.*

*b*) Cfr. Mai *Script. vet. nova coll.* IV, 14.

*c*) Op. cit. p. 295.

*d*) Dissert. cit. p. 8.

*exordio, et dixit, incipiens: Evangelium Iesu, Filii Dei vivi.* Post quae alia linea exorditur: *In principio erat Verbum.* Unde evidenter apparet, in codice Vaticano et verborum ordinem fuisse turbatum, et aliqua adiecta sive ab amanuense sive a glossatore. Ordine itaque restituto, et semotis additamentis, pro certo manet, versionem Diatessari arabicam exordium ducere a Ioan. I, 1, unde citati auctores et s. Ephraemi expositio ferunt incepisse Tatiani evangeliorum harmonias. Prima igitur discrepantia, equidem gravis, inter syriacum et arabicum Diatessaron, novi codicis ope omnino evanescit.

Alia ratio dubitandi de genuinitate versionis arabicae, prout Vat. manuscripto continetur, oriebatur ex pericopis Matthaei I, 1-17, et Lucae III, 23$^{b}$-38, Christi genealogiam continentibus, contra id, quod tradit Theodoretus, apertissime affirmans, praefatas pericopas in Tatiani opere omnino desiderari. Revera in *haereticarum fabularum Compendio* (I, 20), haec ipse ad rem habet: « Tatianus vero Syrus..... Hic (Tatianus) Evangelium, quod Diatessaron dicitur, composuit, *amputatis genealogiis,* et aliis omnibus, quae Dominum ex semine Davidis secundum carnem natum ostendunt. Eoque usi sunt non modo qui eius erant sectae, sed ii etiam qui apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius tamquam compendiario libro utentes. Nactus sum etiam ipse libros huiusmodi supra ducentos, in honore habitos in ecclesiis nostris, quos omnes in unum congestos seposui, et pro his quatuor evangelistarum Evangelia introduxi » *a*).

Iam ex citatis verbis, aliis omissis, quae longe nos abducerent a scopo, id omnino constat, graeca exemplaria, quae Theodoretus habuit, illis pericopis caruisse. Hoc vero apprime confirmatur ex Diatessaro syriaco, seu ex illius partibus, quae s. Ephraemi commentariis habentur. Manet ergo Tatianum in evangeliorum harmoniis Christi genealogias omisisse. Cum vero eas codex Vaticanus habeat, sequeretur hunc vel minime Tatiani opus, vel substantialiter corruptum continere. In dissertatione mea, iam saepe citata (p. 9), animadvertens discrepantias inter harmoniam Vaticani codicis, et illam, quam a s. Ephraemo habuimus, haec ad rem dicebam: « Praeter quasdam nullius ponderis varietates, quae

---

*a*) Τατιανὸς δὲ ὁ Σύρος..... οὗτος καὶ τὸ διὰ τεσσάρων καλούμενον συντέθεικεν Εὐαγγέλιον, τάς τε γενεαλογίας περικόψας, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα γεγεννημένον τὸν Κύριον δείκνυσιν. Ἐχρήσαντο δὲ τούτῳ, οὐ μόνοι οἱ τῆς ἐκείνου συμμορίας, ἀλλὰ καὶ οἱ τοῖς ἀποστολικοῖς ἑπόμενοι δόγμασι, τὴν τῆς συνθήκης κακουργίαν οὐκ ἐγνωκότες, ἀλλ' ἁπλούστερον ὡς συντόμῳ τῷ Βιβλίῳ χρησάμενοι. Εὗρον δὲ κἀγὼ πλείους ἢ διακοσίας Βίβλους τοιαύτας ἐν ταῖς παρ' ἡμῖν ἐκκλεσίαις τετιμημένας, καὶ πάσας συναγαγὼν ἀπεθέμην, καὶ τὰ τῶν τεττάρων εὐαγγελιστῶν ἀντεισήγαγον Εὐαγγέλια. Migne, Patrol. graec. Tom. 83, col. 379–380.

dubio procul ab amanuensibus repeti debent, sunt aliqua in codice arabico, quibus adnumerari fas est Evangelistarum nomina cuique pericopae praeposita, *quae profecto a glossatoribus addita videntur*. Ex tabella in fine huius dissertationis apposita, in qua totius libri arabici prospectum exhibemus, id aperte confirmatur. Ex illa enim liquet Christi genealogias in nostro codice minime abesse, prout defuisse fertur ».

At me minime deceptum fuisse, huiusmodi corruptiones glossatoribus tribuendo, manifeste apparet ex novo ms. arabico, quod ex eodem fonte proveniens, atque omnino referens indolem linguae Vat. codicis, a glossatorum corruptelis immune est. Revera ipsum Christi genealogias in textu omittit, easque relegat ad operis calcem (ff. 354 r.–355 r.) sub titulo: كتاب ولادة ايسوع = *Liber generationis Iesu:* pericopae Matthaei illam Lucae, nullo spatio interiecto, subnectens. Ex quo deducitur, aut interpretem voluisse syriacum Tatiani textum fideliter exhibere, simulque dare lectoribus partes, quae deerant; aut, quod ex dicendis probabilius est, ipsum exemplar syriacum, ex quo prodiit arabica versio, genealogias similiter in calce habuisse, et ab eodem interprete in arabicum, una cum ceteris, fuisse conversas: quod quidem rationi reddendae de corruptione codicis Vaticani non modice confert. Revera merito supponi potest, huius amanuensem prae manibus habuisse exemplar manuscripto Borgiano conforme, atque ex calce, quo genealogiae prostabant, eas in textum transtulisse. Insuper ms. Borgianum codici Vat. emendando inservit respectu nominum Evangelistarum. Haec enim aberant a textu syriaco. Ms. Borg. nonnisi perraro praemittit, quod est indicium in codice Vat. ab amanuense seu glossatore fuisse apposita, ut paulo ante indicavi. Ex his conficitur, versionem arabicam fideliter nobis exhibere syriacum Diatessaron.

Praeter ista, quorum enodatio novam effundit lucem super arabicam translationem, recens Borgianum manuscriptum argumenta eruditorum ab intrinseco deducta pro origine huius versionis, externo confirmat testimonio. Akerblad, qui codicem Vaticanum examini subiecerat, merito hac de re scripsit: « Quod ad versionem arabicam attinet, illam e syriaco aliquo exemplari factam fuisse nullus dubito; omnia enim in hac versione syriasmum redolent, imo et tituli capitum sive sectionum syrum hominem arguunt » *a*). Huic sententiae statuendae alibi plura attuli exempla *b*), quae hic omittenda censeo, cum modo res certo constet. Re enim vera, codex Borgianus in prologo fatetur, non solum versionem arabicam recta ex syriaco derivari, verum ipsius auctorem his verbis nominat: « Ex syriaca

---

*a*) Apud Zahn, op. cit., p. 297. – *b*) Cfr. cit. Dissert., p. 11.

in arabicam linguam transtulit doctissimus presbyter Abû-l-Pharag Abdullah Ben–at–Tîb *a*) ». His autem consonant quae habentur in nota, fol. 355 v.: « Absolutum est Evangelium, quod Tatianus collegit e quatuor Evangeliis sanctorum Apostolorum et beatorum quatuor Evangelistarum, quibus sit pax, quod Diatessaron, i. e. *Quaternarium,* nuncupavit. Ex syriaco in arabicum transtulit eximius doctor Presbyter Abû-l-Pharag Abdullah Ben-at-Tîb, in quo Deus sibi complaceat, ab exemplari exarato manu Ghobasî Ben Alî Almottayeb, discipuli Honain Ben Ishac, quorum Deus misereatur. Amen.»

Quae inscriptio fere certam efficit hypothesim superius positam, nempe syriacum exemplar, ex quo arabica versio concinnata est, habuisse in fine Christi genealogias. Cum enim inscriptio genealogiis postponatur, in eaque dicatur, librum ex syriaco versum fuisse, nulla ratio est, qua id de omnibus praecedentibus non accipiamus. Quo fieret, ipsas genealogias ex eodem idiomate versas fuisse ab ipso Ben–at–Tîb, auctore celebri in litteraria Orientis historia, de quo scribit Assemanus: « Abulpharagius Abdalla Benattibus, patria assyrius seu Arakensis, professione monachus et presbyter, secta Nestorianus, ineunte undecimo Christi saeculo claruit, Eliae primi Nestorianorum Patriarchae a secretis. Obiit anno Graecorum 1355, exeunte mense Octobri, hoc est, anno Christi 1043, ut ex syriaco Barhebraei Chronico notavi Tom. II, pag. 309, de quo haec idem Barhebraeus in historia Dynastiarum p. 233, ex versione Pocockii: Anno Hegirae 435 (qui inchoatus fuit mense Augusto anni Christi 1043) obiit Abulpharagius Abdalla *Ebnol–Tyeb* Erakensis, philosophus insignis, qui veterum libros et sermones pervolverat, et explicandis libris antiquis operam dedit tam in Dialectica, quam in caeteris philosophiae generibus ab Aristotele compositis, et in medicinae Galeni libris. In explicationibus suis prolixiori usus est sermone, dum docere, et quae explicaret, intellectu facilia reddere studeret » *b*). De eodem haec habentur in nota cuiusdam Maris, Salomonis filii, apposita ad marginem cod. arab. 41 Bibl. Vaticanae: « Huius Patris (Eliae Patriarchae an. Chr. 1028) diebus, vita functus est doctus senex, praestantissimus philosophus, divinorum librorum commentator, Presbyter Abulpharagius Abdalla Benattibus, sepultusque fuit in Ecclesia Darthae anno Hegirae millesimo trigesimo quarto » *c*). Item

---

*a*) In prologo Borgiani codicis, quem genuine dedimus, hoc nomen legitur الطيب ; in nota finali vero recte scribitur الطيب. Pocockius primam lectionem alteri praefert; verum iure ab Assemano, loco inferius citando, refutatur. Etenim cum auctores orientales, qui de eo locuti sunt, tum libri eiusdem Abû-l-Pharagi, qui supersunt, prioris lectionis genuinitatem evidenter ostendunt.

*b*) Bibl. Or. T. III, Par. I, p. 544.

*c*) Ibid., p. 265, ubi notandus error circa aetatem Hegirae, cum pro 1034, legendum sit 435.

in cod. arab. Vaticano 180, qui continet Sessiones Eliae metropolitae Nisibis nestoriani, cognomento Bar–Sinaei, « initio fol. 119 subnectitur Abulpharagii Abdallae ben–Attibi, presbyteri, patriarchae Nestorianorum a secretis, approbatio praedictae disputationis. Quum enim ex antiqua consuetudine, decreto etiam Timothei Patriarchae, ut in eius fronte praenotatur, firmata, nefas esset libros in vulgus prodire, qui a doctoribus approbati non fuissent, Elias antequam disputationem suam publici iuris faceret, eamdem iudicio Abdallae nostri subiectam voluit » *a*). Pariter in cod. 103 non solum pluries citatur hic auctor, sed fol. 94 integrum caput XI affertur ex eius libro de unitate Dei *b*). Abraham Echellensis ad calcem *Eutychii vindicati* de Ben–at–Tìb haec habet: « Abulpharagius Benattibus nestorianus. Inter plura, quae edidit opera, exstant illius magnae et parvae in Evangelia Paraphrases eruditissimae, etsi alicubi nestoriana redoleant dogmata » *c*). Post haec nullius ponderis habenda est opinio Stephani Edenensis *d*), qui contendit Abulpharagium hunc Maronitam fuisse, cum ex dictis liquido constet, ipsum et natione assyrum, et secta nestorianum esse.

Notandum vero est, nullum ex citatis scriptoribus, qui huius Abulpharagii mentionem fecerunt, testatum esse, ipsum arabicam Diatessari versionem confecisse. Imo Barhebraeus in Chronico syriaco, et Abulbarcatus penes Assemani *e*), indicem exhibentes operum eiusdem, quae fere omnia arabico idiomate scripta sunt, altum de hoc opere servarunt silentium. Verum id minime negotium facessit, cum certo constet, et illos a Chronico Barhebraei hac de re notitias hausisse, et hunc, una cum Abulbarcato, haud omnia illius Auctoris opera in citato indice recensuisse. Revera ibidem desideratur opus, cui titulus: *Pars altera expositionis in Psalmos*, aliudque inscriptum: *Fragmentum de matrimonio et repudio*, quae nihilominus reperiuntur in MSS. arabicis Vaticanis 35, et 157 *f*). Si igitur cum Barhebraeus tum Abulbarcatus de his silentium habent, haud mirum si de arabica Diatessari versione verbum non fecerint. Eo vel magis, quod circa hoc Tatiani opus, Barhebraeus, ut supra cum Moe-

*a*) Mai, *Script. vet. nova collect.* IV, 326.

*b*) « Collectio Fundamentorum Fidei, auctore Abu Isaac ben Assali, patria aegyptio, secta Iacobita, qui claruit circa medium decimum tertium Christi saeculum ». Mai, Op. cit., p. 212.

*c*) Bibl. Or. T. III, P. I, p. 244 in nota.

*d*) Ibid.

*e*) Opera Abulpharagi iuxta Barhebraeum et Abulbarcatum haec sunt: 1. Commentarium in utrumque Testamentum. 2. Paradisus Christianorum, quo breves continentur in utrumque Testamentum quaestiones. 3. Collectio canonum. 4. De poenitentia Tractatus. 5. Expositio Evang. Matthaei. 6. Quatuor Evangelia allegorice exposita. 7. De haereditate. 8. De praestantia ieiunii, eleemosinae et orationis. 9. Adversum eos, qui dicunt Mariam Deiparam, opus haereticum. 10. De Trinitate et Unitate. 11. Commentaria in libros Aristotelis. Ibid. p. 544.

*f*) Mai, Op. cit., pag. 78 et 297

singer adnotavi, haud sufficienti notione pollebat. Cum ergo in nostro codice praecitata versio apertissime tribuatur Abulpharagio Ben–at–Tîb, nulla ratio est, donec alia in contrarium afferantur, cur eidem abiudicari debeat.

De aliis duobus in inscriptione citatis, desunt certa documenta. De priori nempe Ghobasî Ben Alî Almottayeb non est curandum ; videtur enim fuisse amanuensem syriaci exemplaris, quod in arabicum transtulit Ben–at–Tîb. E contra magistri eius Honain Ben–Ishac fit mentio in citato cod. Vat. arab. 103, f. 140 v., ubi inter auctores nestorianos etiam ipse recensetur his verbis: « Sapiens Honain filius Isaac nestorianus medicus ». Utrum hic Honain idem sit ac ille Hanânus, aut Hanânâ, Scholae Nisibenae magister, de quo loquitur Assemani (Bibl. Or. III, p. 81), quique floruisse fertur saeculo sexto, nescio. Ex hactenus tamen dictis pronum est inferre, usque ad X. saeculum, quo Abulpharagius Ben–at–Tîb in vivis erat, in patria s. Ephraemi servatum fuisse syriacum Diatessaron, quod idem s. Doctor commentariis ornaverat. Dolendum certo est syriacum illud opus minime ad nos pervenisse ; at est simul gratulandum nos potiri versione hac arabica, quae illud integre continet. Integre, inquam, cum ab ea omne absit, ex quo rationabiliter deducatur, ipsam ab arabicis glossatoribus fuisse corruptam ; imo in ea, ut superius cum Akerblad animadverti, omnia syriasmum redolent. Potest ergo pro certo haberi ipsam exhibere opus syriacum, quale erat saeculo decimo. Imo nihil prohibet quominus dicamus, ipsam praeferre Diatessaron syriacum quale erat saeculo quarto, seu tempore s. Ephraemi. Revera omnino improbabile est opus adeo celebre et vulgatum, ut ab Ecclesiae Syriacae Doctore commentariis fuerit exornatum, a saeculo quarto ad decimum vel periisse vel corruptum fuisse.

Modo haud ab re erit adnotare momentum, quod habet Borgianus codex respectu versionis latinae Diatessari, quam medio saeculo sexto notam fecit Victor, Capuanus Episcopus, qui de ea ita scribit: « Dum fortuito in manus meas incideret unum ex quatuor Evangelium compositum, et absente titulo, non invenirem nomen auctoris, diligenter inquirens, quis gesta vel dicta Domini et Salvatoris nostri, evangelica lectione discreta, in ordinem quo se consequi videbantur, non minimo studii labore redegerit, reperi Ammonium quemdam Alexandrinum, qui *Canonum* quoque *Evangelii* fertur inventor, Matthaei evangelio reliquorum trium excerpta iunxisse, ac in unam seriem Evangelium nexuisse ; sicut Eusebius Episcopus Carpiano cuidam scribens, in praefatione editionis suae qua canones memorati Evangelii edidit, supradicti viri imitatus studium, refert in hunc modum: *Ammonius quidam Alexandrinus multum, ut arbitror, laboris et studii impendens, unum ex quatuor nobis*

*reliquit Evangelium.* Ex historia quoque eius comperi, quod Tatianus vir eruditissimus, et orator illius temporis clarissimus, unum ex quatuor compaginaverit Evangelium, cui titulum *Diapente* imposuit..... Arbitror enim propterea non Ammonii, sed huius esse editionem memorati voluminis: quod Ammonius Matthaei fertur relationi, evangelistarum reliquorum relationem discreto annexuisse sermone; hic vero sancti Lucae principia assumpsit, licet ex maxima parte Evangelio sancti Matthaei, reliquorum trium dicta coniunxerit: ut iure ambigi possit utrum Ammonii an Tatiani inventio eiusdem operis debeat aestimari » *a*). Plura de hoc opere a Victore reperto inveniuntur in memorata mea dissertatione. Interim omittens adnotare varietatem in ordine, quo disponuntur Evangelistarum pericopae, aliasque discrepantias, Victoriana versio eas habet corruptiones, quas notavimus in codice arabico Vaticano. Loco enim incipiendi a Ioan. I, 1, exordium ducit ex Lucae I, 1-4, ac insuper in textu continet Christi genealogias. Quapropter sicut codex Vaticanus, ita et illa, pari ratione ac methodo, emendari potest ex manuscripto Borgiano, cuius proinde pretium ac momentum augetur.

Nunc aliquid dicendum de methodo in hac editione adhibita. Ex duobus manuscriptis, alterum mutilum corruptumque erat, alterum integrum sed orthographice mendosum satis. Hinc, quem dedi textum, ex codice Vaticano, superflua recidens, expressi; eius lacunas ex alio implevi, erroresque pro opportunitate ex eodem emendavi. Codicis utriusque variantes in margine adnotavi: compendii ergo, lectiones Vaticani indicavi litera A, Borgiani vero litera B, cui etiam tribui debent lectiones nulla litera notatae. Sumptibus temporique parcens, a vocalibus apponendis abstinui, quibus uterque codex plene instructus est: restitui tamen, ubi deerant, et emendavi puncta diacritica, saepe perperam posita, praesertim in ms. Borgiano. Intactos permisi titulos sectionum seu capitum Vat. codicis, quorum in loco cod. Borgianus vittas habet ampliusculas auroque oblinitas. Nomina Evangelistarum, paucis exceptis, in hoc postremo ms., ut superius dixi, desiderantur, licet eiusdem prologus promittat, ea siglis propriis cuiusque Evangelistae futura fuisse distincta. E contra habentur in codice A., licet saepe erronee posita, cum uni Evangelistarum tribuantur, quae alterius sunt. Cum huiusmodi errores a glossatoribus proveniant, corrigendi libertate usus sum, ut suo loco, apposita nota, indicavi. Arabici textus dedi latinam versionem in commodum Theologorum arabici cognitione carentium. In hac versione, quantum, salva fidelitate, integrum fuit, indolem stylumque servavi Clementinae Vulgatae, ut quilibet utram-

*a*) Migne, Patrol. lat. Tom. 68, coll. 252-358.

que conferens, sibi persuadere possit de utriusque substantiali conformitate. Et haec de extrinsecis Diatessari relationibus. Quae vero ad textum ipsum illustrandum pertinent, quaeque amplissimam requirunt dissertationem, modo, summa temporis angustia, praeterire cogor.

His autem praefandis finem facere nescio, quin palam laudes amplissimas tribuam Illmo ac Rmo D. Dominico Iacobini, Tyri Archiepiscopo et S. C. de Propaganda Fide a Secretis, qui, vix ac eidem significavi velle me praesens opus aggredi, illico, ut novi characteres arabici acquirerentur, mandatum dedit Equiti Friderico Melandri, typographiae eiusdem S. C. Directori eximio, qui summa solertia iussa exequutus, eos comparavit et quidem elegantissimos.

Gratiae insuper mihi agendae sunt Prof. D. Mariano Ugolini, qui mihi saepe adfuit in conferendis schedis typographicis cum manuscriptis.

Donet Deus, ut tenue hoc opus studiosis rerum biblicarum plurimum prosit.

Scribebam Romae Dominica IV Adventus an. 1887.

A. CIASCA

Nota ad pag. XIII., lin. 6. seq.

Post absolutam huius voluminis impressionem nactus sum opus *Ibn Abî Useibia,* editum ab A. Müller (Könisberg 1884), ex quo comperimus nomen notarii exemplaris syriaci Diatessari, quod in arabicum vertit Benattib, pro Ghobasî ben Alî Almottayed legendum esse *'Isa ben Alî Almotattabbeb* عيسى بن على المتطبّب. Qui, ut op. cit. I. pag. 203 legitur, opera duo de Medicina scripsit, fuitque unus ex praeclarioribus discipulis Honain, cuius genuinum nomen est *Abû Zaid Hanain ben Ishaq-al-ibâdî* (ibid. p. 184), qui Hirae natus, fato cessit an. Christi 873.

In nomine Dei unius, Patris, Filii et Spiritus Sancti, cui perpetuo sit gloria:

Altissimi Dei auxilio freti, describere incipimus Evangelium sanctum, florentissimumque pomarium, Diatessarôn appellatum, quod *Quaternarium* interpretatur, quodque Tatianus graecus collegit ex quatuor Evangelistis, Matthaeo electo, cuius sigla M., Marco selecto, cuius sigla R., Luca amabili, cuius sigla C., et Iohanne dilecto, cuius sigla H. Ex syriaca in arabicam linguam transtulit doctissimus Presbyter Abû-l-Pharag Abdullah Ben-at-Tîb, qui Deo sit acceptus. Exordium duxit dicens: Evangelium Iesu Filii Dei vivi.

## CAPUT I.

Ioan. I, 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et ipsum Verbum Deus est.

2. Hoc erat in principio apud Deum.

3. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso neque unum existens factum est.

4. In ipso vita erat, et vita est lux hominum:

5. et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

Luc. I, 5. Fuit in diebus Herodis regis sacerdos quidam nomine Zacharias, de familia Abîa; et uxor illius de filiabus Aaron, cuius nomen Elisabeth.

6. Erant autem iusti ambo coram Deo, incedentes in omnibus mandatis, et iustificationibus Dei sine reprehensione;

7. et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo provecta essent aetate.

8. Cum autem ipse sacerdotio fungeretur in ordine ministerii sui ante Deum,

9. secundum consuetudinem sacerdotii, contigit ei, ut incensum adoleret: et ingressus est in templum Domini,

10. et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.

11. Apparuit autem Zachariae Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi.

12. Cum vidisset eum Zacharias, turbatus est, et timor irruit super eum.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen eius Ioannem:

14. et erit gaudium tibi et exultatio, et multi in nativitate eius gaudebunt:

15. erit enim magnus coram Domino, et vinum et siceram non bibet, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ipse in utero matris suae:

16. et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum:

17. et ipse incedet ante illum in spiritu et virtute Eliae prophetae, ut convertat cor patrum in filios, et inobedientes ad scientiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.

18. Dixit autem Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea aetate provecta.

19. Respondit Angelus, et dixit ei: Ego sum Gabriel adstans ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hoc tibi evangelizare.

20. Ex nunc eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hoc fiat, eo quod non credidisti huic verbo meo, quod implebitur in tempore suo.

21. Populus vero stans, expectabat Zachariam; et mirabatur, quod tardaret ipse in templo.

22. Egressus autem Zacharias non poterat

loqui ad illos, et cognoverunt, quod visionem vidisset in templo. Et ipse innuebat illis, et permansit mutus.

23. Et cum impleti essent dies ministerii eius, abiit in domum suam.

24. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor eius, et occultabat se mensibus quinque, dicens:

25. Hoc fecit in me Dominus in diebus, quibus ad me respexit, ut auferret opprobrium meum inter homines.

26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in Galilaeam, in civitatem, cui nomen Nazareth,

27. ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, de domo David; et nomen virginis Maria.

28. Et ingressus Angelus ad eam, dixit ei: Ave, gratia plena: Dominus noster tecum, o benedicta in mulieribus.

29. Quae cum aspexisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat, quid esset ista salutatio.

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum:

31. ecce, concipies, et paries filium, et vocabis nomen eius IESUM.

32. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius,

33. et regnabit super domum Iacob in aeternum: et regni eius non erit finis.

34. Dixit Maria ad Angelum: quomodo mihi fiet istud, cum vir me non cognoverit?

35. Respondit Angelus, et dixit ei: Spiritus Sanctus veniet, et virtus Altissimi descendet super te. Ideoque quod nascetur ex te erit Sanctum, et vocabitur Filius Dei.

36. Et ecce, Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis,

37. quia nihil difficile erit Deo.

38. Dixit Maria: Ecce, ego ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

39. Tunc surrexit Maria in diebus illis, et abiit in montana cum festinatione, in civitatem Iuda.

40. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth.

41. Ut autem audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero eius; et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth,

42. et exclamavit voce magna, et dixit Mariae: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus, qui est in utero tuo.

43. Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

44. Ut pervenit vox salutationis tuae ad aures meas, exultavit in gaudio magno infans in utero meo.

45. Et beata, quae credidisti, quoniam perficiétur illud, quod dictum est a Domino.

46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum,

47. et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,

48. qui respexit humilitatem ancillae suae: ecce, ex hoc beatam me dicent omnes generationes:

49. quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius:

50. et misericordia eius a progenie in progenies complectitur timentes eum.

51. Retulit victoriam in brachio suo, et dispersit mente superbos.

52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

53. Esurientes saturavit bonis, et divites dimisit inanes.

54. Suscepit Israel puerum suum, et recordatus est misericordiae suae,

55. sicut locutus est ad patres nostros, ad Abraham, et ad semen eius in saecula.

56. Mansit autem Maria apud Elisabeth quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.

57. Elisabeth autem, advenit ei tempus pariendi, et peperit filium.

58. Et audierunt vicini et cognati eius, quia multiplicavit Deus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei.

59. Die autem octavo venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

60. Respondit autem mater eius, et dixit illis: Non ita, sed vocabitur Ioannes.

61. Et dixerunt ad illam: Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

62. Et innuerunt patri eius: Quomodo vis vocare eum.

63. Et postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt universi.

64. Apertum est autem illico os eius et lingua eius, et locutus est ac laudavit Deum.

65. Et irruit timor super omnes vicinos eorum; et super omnia montana Iudaeae divulgatum est hoc;

66. et omnes qui audiebant, cogitabant in corde suo, dicentes: quid puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu Sancto, et prophetavit, dicens:

68. Benedictus Dominus Deus Israel, qui visitavit, et fecit redemptionem plebis suae;

69. et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui,

70. sicut locutus est a saeculo per os sanctorum Prophetarum eius,

71. ut nos eriperet ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos.

72. Fecitque misericordiam cum patribus nostris, recordatus testamenti sui sancti,

73. et iusiurandi, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum, daturum nobis

74. salutem e manu inimicorum nostrorum, ut sine timore serviamus coram ipso,

75. in virtute et iustitia omnibus diebus nostris.

76. Et tu, puer, propheta Altissimi vocaberis, praeibis ante faciem Domini parare viam eius,

77. ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum,

78. per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto:

79. illuminare his, qui in tenebris et sub umbra mortis sedent: et ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

80. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu, et erat commorans in deserto usque in diem ostensionis suae ad filios Israel.

## CAPUT II.

Matth. I, 18. Iesu Christi autem nativitas ita fuit: Cum esset desponsata mater eius Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

19. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere, meditabatur occulte dimittere eam.

20. Hoc autem eo cogitante, Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est:

21. pariet filium; et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam:

23. Ecce, virgo concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum est Deus noster.

24. Exurgens autem Ioseph a somno suo, fecit sicut praecepit ei Angelus Domini, et accepit coniugem suam.

25. Et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum.

Luc. II, 1. In illis autem diebus exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus populus imperii sui.

2. Haec descriptio prima facta est in praefectura Cyrini in Syria.

3. Et ibant omnes, ut profiterentur, in suam civitatem.

4. Ascendit autem et Ioseph de Nazareth, civitate Galilaeae, in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David,

5. ut profiteretur ibi cum Maria eius sponsa praegnante.

6. Et cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret.

7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit

eum in praesepio, quia non erat eis locus ubi commorabantur.

8. Et pastores erant in regione illa commorantes, qui custodiebant gregem suum in vigilia noctis.

9. Et ecce, Angelus Dei accessit ad illos, et gloria Domini circumfulsit illos; et timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ego enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit universo mundo.

11. Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

12. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio.

13. Et subito apparuit cum Angelis copiosa militia coelestis laudantes Deum, et dicentes:

14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, et spes bona hominibus.

15. Et ut discesserunt ab eis Angeli in caelum, pastores loquebantur ad invicem, dicentes: transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, sicut Dominus ostendit nobis.

16. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Ioseph, et infantem positum in praesepio.

17. Et cum vidissent, certiores facti sunt de verbo, quod dictum erat illis de puero.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt de his, quae ipsis narraverant pastores.

19. Maria autem conservabat omnia verba haec, eaque conferebat in corde suo.

20. Et reversi sunt pastores illi, glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quae viderant et audierant, sicut narratum est illis.

21. Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomem eius IESUS; et hoc est (nomen), quo vocatum est ab Angelo prius quam in utero conciperetur.

22. Et ut impleti sunt dies purgationis eorum, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum coram Domino,

23. sicut scriptum est in lege Domini: Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;

24. et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

25. Et homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste erat iustus, timoratus et expectans consolationem Israel; et Spiritus sanctus erat in eo.

26. Et dictum ei fuerat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, donec videret Christum Domini.

27. Hic enim venit in spiritu in templum: et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, ut offerrent hostiam pro eo, quemadmodum scriptum est in lege,

28. sustulit eum in ulnas suas, et laudavit Deum, et dixit:

29. Nunc solves ligamina servi tui, Domine, secundum verbum tuum, in pace;

30. iam enim oculi mei viderunt misericordiam tuam,

31. quam parasti pro mundo universo:

32. lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israel.

33. Et erat Ioseph et mater eius mirantes super his, quae dicebantur de illo.

34. Et vocavit eos Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce, positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum contradictionis:

35. et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur cordium multorum cogitationes.

36. Et Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser, erat et ipsa aetate provecta, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua;

37. et vidua permansit usque ad annos octoginta quatuor, neque discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte.

38. Et haec, ipsa hora superveniens, gratias agebat Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Ierusalem.

39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth.

## CAPUT III.

Matth. II, 1. Post haec Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes:

2. Ubi est, qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes Sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur.

5. Qui dixerunt: in Bethlehem Iudae: ita scriptum est per Prophetam:

6. Et tu, Bethlehem Iudae, nequaquam minima es in regibus Iudae: ex te exiet rex, qui regat populum meum Israel.

7. Tunc Herodes clam vocatis Magis, exquisivit ab eis tempus, quo apparuit illis stella.

8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit eis: Ite, et interrogate diligenter de puero, et cum inveneritis eum, venite, et renunciate mihi, ut et ego veniens, adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt; et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret supra locum, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, conspexerunt puerum cum Maria matre eius, et procciderunt adorantes eum; et apertis thecis suis obtulerunt ei munera: aurum, myrram et thus.

12. Et visu accepto in somnio, ne redirent ad Herodem, alia via incederunt, ut irent in regionem suam.

13. Qui cum recessissent, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dixitque illi: Surge, accipe puerum et matrem eius, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum.

14. Et surgens Ioseph, accepit puerum et matrem eius nocte, et fugit in Aegyptum;

15. et mansit ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum.

16. Tunc Herodes, cum vidisset quod illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus eius, a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis.

17. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem:

18. Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorat filios suos, et nolit consolari propter amissionem eorum.

19. Defuncto autem Herode rege, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto,

20. et dixit ei: Surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quaerebant animam pueri.

21. Surgens Ioseph, accepit puerum et matrem eius, et venit in terram Israel.

22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudaea pro Herode patre suo, timuit illo ire; vidit autem in somnio ut secederet in terram Galilaeae,

23. et ut habitaret in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Quoniam Nazaraeus vocabitur.

Luc. II, 40. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu, ac replebatur sapientia; et gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in solemnitate Paschae.

42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascenderunt secundum consuetudinem ad solemnitatem.

43. Consummatisque diebus, reversi sunt; puer autem Iesus remansit in Ierusalem; et Ioseph ac mater eius nesciebant,

44. existimantes illum esse in comitatu.

Et cum fecissent iter diei, quaesiverunt eum apud cognatos et notos.

45. Et non invenientes, regressi sunt in Ierusalem, iterum requirentes eum.

46. Et post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super sapientia et sermonibus eius.

48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce, ego et pater tuus anxietate multa quaerebamus te.

49. Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? nesciebatis, quia in domo Patris mei oportet me esse?

50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo.

52. Et Iesus proficiebat statura et sapientia, et gratia apud Deum et homines.

III, 1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha,

2. sub principibus Sacerdotum Anna et Caipha, prodiit Dei verbum ad Ioannem, Zachariae filium, in deserto.

3. Et venit in omnem regionem circa Iordanem, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

Matth. III, 1. Et praedicabat in deserto Iudaeae,

2. et dicebat: Poenitentiam agite, appropinquavit regnum caelorum.

3. Hic est, qui dictus est per Isaiam prophetam: Vox clamantis in deserto:

Luc. III, 4. Parate viam Domini: rectas facite semitas Dei nostri:

5. omnis vallis implebitur, et omnis mons, et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et loca aspera in plana:

6. et videbit omnis caro salutare Dei.

Ioan. I, 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine,

9. quod est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in mundum.

10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.

11. In propria venit, et sui eum non receperunt;

12. quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius:

13. qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

14. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, quasi gloriam unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

15. Ioannes testimonium perhibuit de ipso, et clamavit dicens: Hic est, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.

16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia.

17. Quia lex per Moysen data est, veritas et gratia per Iesum Christum facta est.

## CAPUT IV.

18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Dei, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

19. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis Sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, et non negavit, et confessus est, ipsum non esse Christum.

21. Et iterum interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Respondit: Non.

22. Dixerunt ei: Quis ergo es, ut re-

sponsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso?

23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas cum non sis Christus, neque Elias, neque Propheta?

26. Respondit Ioannes, et dixit illis; Ego baptizo in aqua: medius vestrum stat, quem vos nescitis.

27. Hic est, de quo dixi, quoniam post me venturus est, et ante me factus est, cuius ego non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamenti eius.

28. Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

Matth. III. 4. Porro Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam; esca autem eius erat locustae, et mel silvestre.

5. Tunc exibat ad eum populus Ierosolymae, et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem;

6. et baptizabantur ab eo in flumine Iordanis, confitentes peccata sua.

7. Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum venientes baptizari, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos poenitentiae.

9. Et ne existimetis, et dicatis intra vos: Patrem habemus Abraham; dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.

10. Ecce securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, tolletur, et in ignem mittetur.

Luc. III, 10. Et interrogabant eum turbae, dicentes: Quid faciemus?

11. Respondens, dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escam, similiter faciat.

12. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?

13. Ait illis: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, petatis.

14. Interrogabant autem eum milites, dicentes: Quid faciemus et nos? Ait illis: Neminem concutiatis, neque iniuste erga aliquem agatis, et contenti estote stipendiis vestris.

15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus,

16. respondit Ioannes, et dixit illis: Ego aqua baptizo vos: veniet post me, qui fortior est me, cuius non sum dignus solvere corrigias calceamentorum eius: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni:

17. qui ventilabrum apprehendens in manu sua ad purgandam aream suam, congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Et alia docebat, et evangelizabat populo.

Matth. III, 13. Tunc venit Iesus a Galilaea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.

Luc. III, 23. Et Iesus erat quasi natus annorum triginta, et putabatur filius Ioseph.

Ioan. I, 29. Ioannes autem vidit Iesum venientem ad se, et ait: Hic est Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

30. Hic est, de quo dixi: Post me veniet vir, qui est ante me, quia prior me est.

31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur Israeli, propterea veni ego in aqua baptizans.

Matth. III, 14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego indigeo a te baptizari, et tu venis ad me?

15. Respondens ei Iesus, dixit: Sine modo: sic decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum.

Luc. III. 21$^{b}$. Et cum baptizaretur omnis populus, baptizatus est et Iesus.

Matth. III, 16$^{b}$. Et confestim ascendit de aqua, et apertum est ei caelum.

Luc. III, 22$^{a}$. Et descendit Spiritus sanctus sub specie corporis columbae super ipsum:

Matth. III, 17. et ecce vox de coelo dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Ioan. I, 32. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Porro ego vidi Spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.

33. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

34. Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

Luc. IV, 1a. Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane.

Marc. I, 12. Et statim Spiritus impulit eum in desertum,

13b. ut tentaretur a Satana; eratque cum bestiis.

Matth. IV, 2a. Et ieiunavit quadraginta diebus, et quadraginta noctibus,

Luc. IV, 2b. nihilque gustavit in diebus illis;

Matth. IV, 2b. et postea esuriit.

3. Et accedens tentator dixit ei: si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.

4. Respondit et dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

5. Tunc adduxit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi,

6. et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, et in brachiis suis tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

7. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Luc. IV, 5. Assumpsit autem illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna terrae, et gloriam eorum in momento temporis,

6. et ait illi diabolus: Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam eius; quae mihi tradita sunt, ut dem illa cui voluero.

7. Si ergo adoraveris coram me, erunt tua omnia.

## CAPUT V.

Matth. IV, 10. Respondit Iesus, et dixit illi: Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

Luc. IV, 13. Et cum consummasset diabolus omnem tentationem, recessit ab illo usque ad tempus.

Matth. IV, 11b. Et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Ioan. I, 35. Altera die stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo.

36. Et respiciens Iesum ambulantem dixit: Ecce, Agnus Dei.

37. Et audierunt eum duo discipuli eius loquentem, et secuti sunt Iesum.

38. Conversus autem Iesus, et videns eos sequentes se, dixit eis: Quid quaeritis? Dixerunt ei: Magister, ubi habitas?

39. Dixit eis: Venite, et videte. Et ipsi venerunt, et viderunt locum commorationis eius, et apud eum manserunt die illo; hora autem erat quasi decima.

40. Unus ex duobus, qui audierant a Ioanne, et secuti fuerant Iesum, erat Andreas frater Simonis.

41. Vidit hic primum fratrem suum Simonem, et dixit ei: Invenimus Messiam.

42. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon, filius Iona: tu vocaberis Cephas.

43. In crastinum voluit Iesus exire in Galilaeam, et invenit Philippum, cui dixit: Sequere me.

44. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Simonis.

45. Et invenit Philippus Nathanael, et dixit ei: Illum, de quo scripsit Moyses in lege, et Prophetae, invenimus esse Iesum, filium Ioseph a Nazareth.

46. Dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dixit ei Philippus: Veni, et vide.

47. Et vidit Iesus Nathanael venientem ad se, et dixit de eo: Hic est vere filius Israel, in quo dolus non est.

48. Dixit ei Nathanael: Unde me nosti? Dixit ei Iesus: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.

49. Respondit Nathanael, et ait illi: Magister, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.

50. Dixit ei Iesus: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credidisti: maius his videbis.

51. Et dixit ei: Amen, amen dico vobis: Ex nunc videbitis caelos apertos, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.

Luc. IV, 14. Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilaeam.

Ioan. II, 1. Et die tertia convivium factum est in Qatna, civitate Galilaeae; et erat mater Iesu ibi.

2. Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius ad convivium.

3. Et deficiente vino, dixit ad Iesum mater eius: Vinum non habent.

4. Et dixit ei Iesus: Quid mihi, et tibi, mulier? nondum venit hora mea.

5. Dixit autem mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant ibi lapideae hydriae sex, positae ob purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.

7. Et dixit illis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

8. Dixit eis: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et fecerunt.

9. Ut autem gustavit architriclinus illam aquam, quae vinum facta est, et non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant, quia ipsi hauserant aquam, vocavit sponsum architriclinus,

10. et dixit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, affert quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11. Hoc fuit primum signum, quod fecit Iesus in Qatna Galilaeae, et manifestavit gloriam suam; et crediderunt in eum discipuli eius.

Luc. IV, 14[b]. Et divulgata est fama eius in universam finitimam regionem.

15. Et docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus hominibus.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere.

17. Et traditus est illi liber Isaiae prophetae. Et aperuit Iesus librum, et invenit locum, ubi scriptum erat:

18. Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperibus, et misit me sanare contritos corde,

19. praedicare malis remissionem, et caecis visum, adducere fractos in remissionem, et praedicare annum Domino acceptum.

20. Et plicuit librum, reddiditque illum ministro, et abiit ac sedit. Et omnium adstantium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

21. Coepit autem dicere ad illos: Hodie impleta est haec scriptura, quam auribus vestris audistis.

22[a]. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiae, quae procedebant de ore ipsius.

Matth. IV, 17[a]. Exinde coepit Iesus praedicare Evangelium regni Dei, et dicere:

Marc. I, 15. Poenitemini, et credite Evangelio: impletum est tempus, et appropinquavit regnum caelorum.

Matth. IV, 18. Et ambulans iuxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Cephas, et Andream fratrem eius, mittentes retia sua in mare, erant enim piscatores,

19. et ait illis Iesus: Sequimini me, faciam enim vos piscatores hominum.

20. At illi continuo, relictis ibi retibus suis, secuti sunt eum.

21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedaei, et Ioannem fratrem eius in navi cum Zebedaeo patre eorum, reficientes retia sua, et vocavit eos Iesus.

22. Illi autem statim, relictis navi et patre eorum Zebedaeo, secuti sunt eum.

Luc. V, 1. Et cum turbae convenirent ad eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth,

2. vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatores autem, qui inde descenderant, lavabant retia sua;

3. quarum una erat Simonis Cephae, et in eam ascendit Iesus, et sedit, atque praecepit, ut a terra ducerent pusillum in aquam. Et sedens docebat de navicula turbas.

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Ducite in altum, et laxate retia vestra in capturam.

5. Respondit Simon, et dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laboravimus, et nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam; prope enim erat rete eorum ut rumperetur.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adiuvarent eos. Et cum venissent, impleverunt ambas naviculas ita, ut pene mergerentur.

## CAPUT VI.

8. Cum autem vidisset Simon Cephas, procidit ad pedes Iesu, et dixit illi: Domine, peto a te, ut a me recedas, quia homo peccator sum.

9. Stupor enim comprehenderat eum, et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant;

10. sic etiam apprehenderat Iacobum et Ioannem, filios Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc homines eris capiens ad vitam.

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

Ioan. III, 22. Post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudae; ibique circumibat cum eis, et baptizabat.

23. Ioannes quoque baptizabat in Aennon iuxta Salim, quia aquae multae erant illic; et veniebant, et baptizabantur.

24. Nondum enim tractus fuerat Ioannes in carcerem.

25. Facta est autem quaestio inter discipulum Ioannis et Iudaeum de purificatione.

26. Et venerunt ad Ioannem, et dixerunt ei: Magister, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce, hic etiam baptizat, et multi veniunt ad eum.

27. Respondit Ioannes, et dixit illis: Non potest homo accipere quidquam ex semetipso, nisi fuerit ei datum de caelo.

28. Vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed missus ante illum.

29. Qui habet sponsam, sponsus est, et amicus sponsi est ille, qui stat, et attente audit eum, et gaudet gaudio magno ad vocem sponsi. Ecce, nunc gaudium meum iam impletum est.

30. Illum oportet crescere, me autem minui.

31. Qui desursum venit, superior est omnibus. Qui de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de caelo descendit, superior est omnibus.

32. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur, et testimonium eius nemo accipit.

33. Qui accepit eius testimonium, signavit, ipsum vere esse Deum.

34. Quem enim misit Deus, verbum Dei loquitur, non ad mensuram dat Deus spiritum.

35. Pater diligit Filium, et omnia posuit in manibus eius.

36. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem inobsequens est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

IV, 1. Et cognovit Iesus, quia audierunt Pharisaei, quod ipse plures discipulos adsciscit et baptizat, quam Ioannes,

2. non quia Iesus ipse baptizaret, sed discipuli eius,

3. et reliquit Iudaeam.

Luc. III, 19. Herodes autem praefectus, cum corriperetur a Ioanne de Herodiade uxore fratris sui Philippi, et de omnibus malis, quae fecerat,

20. adiecit et hoc super omnia, ut includeret Ioannem in carcere.

Matth. IV, 12. Cum autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilaeam;

Ioan. IV, 46. et ingressus est iterum in Qatna, ubi fecit aquam vinum. Et erat Capharnai quidam servus regis, cuius filius infirmabatur.

47. Hic cum audisset, quia Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogavit eum, ut descenderet, et sanaret filium eius; proximus enim erat morti.

48. Dixit illi Iesus: Nisi signa et prodigia videretis, non creditis.

49. Dixit ad eum servus regis: Domine, descende, ne moriatur puer meus.

50. Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit vir ille sermoni, quem dixit ei Iesus, et abiit.

51. Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt ei dicentes: Filius tuus vivit.

52. Et interrogavit eos: Qua hora convaluit? Dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris.

53. Et cognovit pater illius, hoc accidisse illa hora, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus vivit; et credidit ipse, et familia domus eius tota.

54. Et hoc est secundum signum, quod fecit Iesus, cum reverteretur a Iudaea in Galilaeam.

Luc. IV. 44. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.

Matth. IV, 13. Et relinquens Nazareth, venit, et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephthalim,

14. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem:

15. Terra Zabulon, terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilaea gentium,

16. populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione et in umbra mortis, lux orta est eis.

Luc. IV, 31b. Et docebat illos sabbatis.

32. Et stupebant super doctrina eius, quia sermo ipsius erat quasi potestatem habens.

33. Et in synagoga erat homo habens daemonium immundum, et exclamavit voce magna,

34. dicens: Sine me, quid mihi et tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te, quis sis, Sanctus Dei.

35. Et increpavit illum Iesus, dicens: Occlude os tuum, et exi ab eo. Et proiecit illum daemonium in medium, et exiit ab illo; cum nihil illum nocuisset.

36. Et admiratio magna comprehendit omnes, et loquebantur ad invicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quod in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt?

37. Et divulgabatur fama de illo in omnem finitimam regionem.

38a. Egrediens autem Iesus de synagoga,

Matth. IX, 9b. vidit hominem sedentem inter publicanos, Matthaeum nomine. Et ait illi: Veni post me. Et surgens, secutus est eum.

Marc. I, 29. Et venit Iesus in domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne.

Luc. IV, 38b. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; et rogaverunt illum pro ea.

39. Et stans super illam imperavit febri eius; et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis.

Matth. VIII, 16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes; et verbo eiiciebat daemonia eorum.

Luc. IV, 40b. Et omnes, qui habebant infirmos gravibus languoribus et variis, ducebant illos ad eum. Et singulis manum imponens, sanabat eos;

Matth. VIII, 17. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accipiet; et aegrotationes nostras portabit.

Marc. I, 33. Et erat omnis civitas congregata ad ianuam Iesu.

Luc. IV, 41. Et iterum eiiciebat daemonia a multis, quia clamabant, et dicebant: Tu es Christus, Filius Dei; et increpabat ea, neque sinebat daemonia loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum Dominum.

# CAPUT VII.

Marc. I, 35. Et summo mane illius diei egressus, abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant.

37. Et cum invenissent eum, dixerunt ei: Omnes quaerunt te.

38. Ait illis: Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi praedicem: ad hoc enim veni.

Luc. IV, 42[b]. Et turbae requirebant eum, et venerunt usquedum assequerentur eum, et detinebant illum, ne discederet ab eis.

43. Quibus dixit Iesus: Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei; quia propter hoc evangelium missus sum.

Matth. IX, 35. Et circuibat Iesus omnes civitates et castella, et docebat in synagogis eorum, et praedicabat evangelium regni, atque curabat omnes morbos et omnes infirmitates,

Marc. I, 39[b]. et daemonia eiiciebat.

Luc. IV, 14[b]. Et divulgabatur fama eius;

15. quia ipse docebat in omni loco, et magnificabatur ab omnibus.

Marc. II, 14. Et cum praeteriret, vidit Levi filium Alphaei sedentem ad telonium, et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.

Matth. IV, 24. Et audiebatur opinio eius in tota regione Syriae; et obtulerunt ei omnes male habentes gravioribus ac variis morbis, et tormenta sustinentes, et daemoniacos, et lunaticos, et paralyticos; et curavit eos.

Marc. II, 1. Et iterum intravit Iesus Capharnaum post dies,

2. et cum auditum est, quod in domo esset, convenerunt multi, ita ut non caperet eos neque ad ianuam; et nuntiabat illis verbum Dei.

Luc. V, 17[b]. Et erant ibi quidam Pharisaeorum et legis doctorum sedentes, qui venerant ex omni castello Galilaeae, et Iudaeae et Ierusalem; et virtus Domini erat ad sanandum eos.

18. Et venerunt quidam cum lecto, super quem erat vir paralyticus, et quaerebant eum inferre, et ponere ante eum.

19. Et non invenientes viam, qua illum inferrent prae turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.

20. Quorum fidem ut vidit Iesus, dixit illi paralytico: Fili, remissa sunt tibi peccata tua.

21. Et coeperunt cogitare in corde suo Scribae et Pharisaei: Cur loquitur iste blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

Marc. II, 8. Iesus autem cognovit spiritu, quod illi haec cogitarent intra se, et dixit eis: Quid ista cogitatis in corde vestro?

9. Quid est facilius dicere paralytico: Dimissa sunt tibi peccata tua; an ei dicere: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula?

10. Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico:

11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

12[a]. Et statim surrexit, tulit grabatum suum, et egressus est in conspectu omnium;

Luc. V, 25[b]. et abiit in domum suam, magnificans Deum.

Matth. IX, 8[a]. Videntes autem turbae illae timuerunt.

Luc. V, 26[a]. Stupor enim apprehendit illos;

Matth. IX, 8[b]. et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus,

Luc. V, 26[b]. dicentes: Sane iam vidimus mirabilia hodie;

Marc. II, 12[b]. quorum similia nunquam vidimus.

Luc. V, 27. Et post haec exiit Iesus, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem inter publicanos, et ait illi: Sequere me.

28. Et relictis omnibus, surrexit, et secutus est eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua; et erat turba multa publicanorum, et aliorum discumbentium cum eo.

30. Et murmurabant Scribae et Pharisaei, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis, et bibitis?

31. Respondit Iesus, et dixit ad illos: Non quaerit medicus sanos, sed eos, qui malis affliguntur.

32. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.

33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis perpetuo ieiunant, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisaeorum: tui vero discipuli edunt, et bibunt?

34. Dixit illis: Non est vobis datum filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare.

35. Venient dies, cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

36b. Et dicebat illis similitudinem:

Marc. II, 21. Nemo assumentum novum iniicit, et assuit vestimento veteri; ne auferat supplementum novum a veteri, et maior scissura fiat.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, ne dirumpat vinum utres, et utres pereant, et vinum effundatur: sed vinum novum in utres novos mitti debet;

Luc. V, 38b. et utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vinum vetus, statim quaerit novum, dicit enim: Vetus melius est.

Matth. XII, 1. Cum ambularet Iesus per sata die sabbati, discipuli eius esurierunt, et confricantes spicas manibus suis, manducabant.

2a. Quidam autem Pharisaeorum videntes illos, dixerunt ei:

Marc. II, 24b. Vide, quid discipuli tui faciunt die sabbati, quod non licet?

25. Et ait illis Iesus: Numquam legistis in antiquis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant?

26. quomodo introivit in domum Dei, cum esset Abiathar princeps sacerdotum, et panes mensae Domini manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit etiam eis, qui cum eo erant?

27. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem creatum est, et non homo propter sabbatum creatus est.

Matth. XII, 5. Aut non legistis in lege, quia sacerdotes in templo sabbatum solvunt, et sine crimine sunt?

6. Dico autem vobis, quia templo maior est hic.

7. Si sciretis, quod ego misericordiam volo, non sacrificium; profecto haud condemnassetis innocentes.

8. Dominus sabbati est Filius hominis.

Marc. III, 21. Et audierunt sui, et exierunt tenere eum; dicebant enim: Sane mente captus est.

Luc. VI, 6. Et in alio sabbato ingressus est in synagogam, et docebat. Et erat ibi homo, cuius manus dextra erat arida.

7. Observabant autem illum Scribae et Pharisaei, si in sabbato curaret, ut invenirent modum, quo reprehenderent eum.

8. Ipse cognovit cogitationes eorum, et ait homini illi, cuius manus erat arida: Surge, et accede in medium synagogae. Et cum venisset, et stetisset,

9. ait illis Iesus: Interrogo vos, quid liceat facere in die sabbati, bonum an malum? animas salvas facere, an perdere?

Marc. III, 4b. At illi tacebant.

5. Circumspiciens eos cum ira, et contristatus propter duritiem cordis eorum, dixit homini illi: Extende manum tuam. Et extendit; et aequalis facta est manus eius.

Matth. XII, 11. Tunc dixit illis: Quis ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit die sabbati in puteum, non tenebit, et levabit eam?

12. At quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

## CAPUT VIII.

14. Exeuntes autem Pharisaei, consilium fecerunt adversus eum, ut perderent eum.

15. Iesus autem sciens recessit inde; et secutae sunt eum turbae multae, et curavit eos omnes;

16. et compescuit eos, ne manifestum eum facerent;

17. ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem:

18. Ecce, puer meus, in quo mihi complacui, dilectus meus, in quo requievit anima mea. Posui spiritum meum super eum; et iudicium gentibus nuntiabit.

19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius:

20. arundinem quassatam non confringet, et lucernam fumigantem non extinguet, donec educat ad victoriam iudicium,

21. et in nomine suo evangelizet gentes.

Luc. VI, 12. In illis diebus exiit Iesus in montem orare, ibique mansit usque mane in oratione Dei.

13. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos,

Marc. III, 7[b]. et secessit ad mare; et populus multus a Galilaea secutus est eum, ut oraret;

8. et a Iudaea, et ab Ierosolymis et ab Idumaea, et trans Iordanem, et a Tyro et Sidone, et a Decapoli, multitudo magna, audientes, quae faciebat, venerunt ad eum.

9. Et dixit discipulis suis, ut sibi naviculam admoverent, propter turbam, ne comprimerent eum;

10. et multos sanavit, ita ut prope erant, ut opprimerent eum propter aviditatem illum tangendi, quotquot habebant plagas.

11. Et spiritus immundi, cum illum viderent, procidebant, et clamabant dicentes:

12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.

Luc. VI, 18[b]. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

Matth. V, 1[a]. Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem,

Luc. VI, 13[b]. et vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit:

14. Simonem, quem cognominavit Cepham, et Andream fratrem eius, Iacobum et Ioannem, Philippum et Bartholomaeum,

15. Matthaeum et Thomam, Iacobum filium Alphaei, et Simonem, qui vocatur Zelotes,

16. et Iudam filium Iacobi, et Iudam Iscariotem, et hic est, qui tradidit eum.

17. Et descendit cum illis Iesus, et stetit in planitie, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis.

Marc. III, 14. Et hos duodecim elegit, ut essent cum illo, et ut mitteret eos praedicare;

15. et ut haberent potestatem curandi infirmitates, et eiiciendi daemonia.

Luc. VI, 20[a]. Tunc elevatis oculis suis in illos,

Matth. V, 2. aperuit os suum, et docebat eos, dicens:

3. Beati pauperes spiritu, ipsorum est enim regnum caelorum.

4. Beati tristes, ipsi enim consolabuntur.

5. Beati mites, ipsi enim possidebunt terram.

6. Beati, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, ipsi enim saturabuntur.

7. Beati misericordes, ipsi enim misericordiam consequentur.

8. Beati mundi corde, ipsi enim Deum videbunt.

9. Beati pacifici, ipsi enim filii Dei vocabuntur.

10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ipsorum est enim regnum caelorum.

Luc. VI, 22[a]. Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et eiecerint, et exprobaverint vos;

Matth. V, 11[b]. et dixerint omne ver-

bum malum adversum vos mentientes, propter me:

12. tunc gaudete, et exultate, merces enim vestra copiosa est in caelis: sic enim persecuti sunt prophetas ante vos.

Luc. VI, 24. Verumtamen, vae vobis divitibus, accepistis enim consolationem vestram.

25. Vae vobis, qui saturati estis, esurietis. Vae vobis, qui ridetis nunc, lugebitis et flebitis.

26. Vae vobis, cum laudaverint vos homines, quia sic faciebant pseudoprophetis patres eorum.

27[a]. Vobis dico, qui auditis:

Matth. V, 13. Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum bonum est, sed mittetur foras et conculcetur ab hominibus.

14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem aedificata;

15. neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.

Marc. IV, 22. Non est aliquid occultum, nisi et manifestetur, et absconditum, nisi et cognoscatur.

23. Qui habet aures audiendi, audiat.

Matth. V, 17. Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere.

18. Amen, dico vobis: donec transeat caelum et terra, apex unum, aut littera una non praeteribit a lege, donec omnia fiant.

19. Omnis ergo, qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: omnis, qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

20. Dico enim vobis: Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.

21. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: omnis enim, qui occiderit, reus erit iudicio.

22. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui sine causa irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et omnis, qui dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Omnis autem, qui dixerit ei: Fatue, reus erit gehennae ignis.

23. Si ergo eris offerens munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus odium aliquod conceperit adversum te,

24. relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc revertere, et offer munus tuum.

25[a]. Esto consentiens adversario tuo cito:

Luc. XII, 58[b]. dum adhuc es cum eo in via, da pretium, et liberare ab illo,

Matth. V, 25[b]. ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.

26. Amen, dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum obolum.

27. Audistis, quia dictum est: Non moechaberis.

28. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui respexerit ad mulierem, illam concupiscens, iam illico moechatus est eam in corde suo.

29. Si oculus tuus dexter nocet te, erue eum, et proiice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

30. Et si dextra manus tua nocet te, abscide eam, et proiice abs te: melius est enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum cadat in gehennam.

31. Dictum est: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.

32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, absque fornicationis causa, iam facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat.

## CAPUT IX.

33. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis, sed clama ad Deum in fide tua.

34. Ego autem dico vobis: Non iurare omnino, non per caelum, quia thronus Dei est:

35. neque per terram, quia scabellum est sub pedibus eius: neque etiam per Ierosolymam, quia civitas est magni regis:

36. neque per caput tuum iuraveris, quia non potes cirrum unum capillorum nigrum facere, aut album.

37. Sed sermo vester sit: aut, Utique: aut, Non: quod autem hoc abundantius est, a malo est.

38. Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente.

39. Ego autem dico vobis: Non resistere malo, sed qui te percusserit in dexteram maxillam, praebe illi et alteram:

40. et ei, qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium tuum:

41. et qui te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.

42. Qui petit a te, da ei, et volenti mutuari a te, ne avertaris:

Luc. VI, 30$^{b}$. et illum, qui aufert, quae tua sunt, ne reprehendas.

31. Et prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter.

Matth. V, 43. Audistis, quia dictum est: Dilige proximum tuum, et odio habe inimicum tuum.

44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vos, benefacite his, qui odio habent vos: et orate pro iis, qui dure vos recipiunt, et expellunt vos,

45. ut sitis filii Patris vestri caelestis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et immittet pluviam suam super iustos et iniustos.

46$^{a}$. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?

Luc. VI, 32$^{b}$. publicani enim et peccatores diligentes se diligunt.

33. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt: ubi est praestantia vestra? siquidem et peccatores sic faciunt.

34. Et si mutuum dederitis illi, a quo retributionem speratis: ubi est praestantia vestra? nam et peccatores peccatoribus foenerarunt, aequalia expectantes ab ipsis.

35. Verumtamen, diligite inimicos vestros, et benefacite illis, et mutuum date, neque ullius spem praecidatis, ut sit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi: ipse enim benignus est super malos et ingratos.

36. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

Matth. V, 47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et publicani hoc faciunt?

48. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.

VI, 1. Attendite, ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est.

2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen, ego dico vobis: Profecto receperunt mercedem suam.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua,

4. ut sit eleemosyna tua abscondita, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi palam.

5. Et cum oraveris, ne sis sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen, ego dico vobis: Profecto receperunt mercedem suam.

6. Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi palam.

7. Orantes autem, ne sitis multiloqui, sicut ethnici: ipsi enim putant, quod in multiloquio exaudiantur.

8. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester petitionem vestram, antequam rogatis eum.

Luc. XI, 1b. Dixit unus ex discipulis eius ad ipsum: Domine, doce nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos.

2a. Ait illis Iesus: Sic ergo vos orabitis:

Matth. VI, 9. Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum.

10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in caelo, ita in terra.

11. Panem quotidianum da nobis.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

13. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, quia tuum est regnum, et virtus et gloria in saecula saeculorum.

14. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester, qui in caelis est.

15. Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

16. Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes: ipsi enim exterminant facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen, dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. Tu autem, cum ieiunas, lava faciem tuam, et unge caput tuum,

18. ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Luc. XII, 32. Nolite timere, pusillus grex: etenim complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. Vendite, quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.

Matth. VI, 19. Nolite thesaurizare vobis thesaurum in terra, ubi aerugo et tinea corrumpit, et ubi fures effodiunt, et furantur.

20. Sed thesaurizate vobis thesaurum in caelo, ubi neque aerugo, neque tinea corrumpit, et fures non effodiunt, nec furantur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

22. Lucerna corporis est oculus. Si enim oculus tuus fuerit integer, totum corpus tuum lucidum erit.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt: tenebrae tuae quantae erunt?

Luc. XI, 35. Cave, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint.

36. Quia si totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrosam, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgore suo illuminabit te.

## CAPUT X.

Matth. VI, 24. Nemo potest duobus dominis servire: quia necesse habet unum eorum odio habere, et alterum diligere, aut unum honorare, et alterum contemnere. Non potestis Deo servire, et divitiis.

25. Ideo dico vobis: Ne solliciti sitis animabus vestris, quid manducetis, et quid bibatis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum?

26. Respicite volatilia caeli, quae non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester, qui est in caelis, pascit illa. Nonne vos pluris estis illis?

27. Quis autem vestrum, etsi conatus fuerit, poterit adiicere ad staturam suam cubitum unum?

Luc. XII, 26. Si ergo neque quod minimum est, potestis: quid de ceteris solliciti estis?

Matth. VI, 28b. Considerate lilia agri, quomodo crescunt, licet non laborent, neque nent.

29. Et ego dico vobis: Quoniam nec Sa-

lomon in magnificentia gloriae suae cooper-tus est sicut unum ex istis.

30. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis fiet vobis, modicae fidei?

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

Luc. XII, 29b. Neque mens vestra pro-pter hoc turbetur.

Matth. VI, 32. Haec omnia saeculi gen-tes inquirunt. Scit enim Pater vester, qui in caelis est, quia his omnibus indigetis.

33. Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis.

34. Nolite solliciti esse in crastinum: crastinus enim sollicitus erit sibi ipsi; suf-ficit diei malum suum.

VII, 1. Nolite iudicare, ut non iudicemini.

Luc. VI, 37b. Nolite condemnare, ne condemnemini. Dimittite, et dimittemini.

38. Condonate, et condonabimini; date, dabitur vobis: mensuram bonam confertam et plenam proiicient in sinum vestrum. Ea-dem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Marc. IV, 24b. Videte, quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adiicietur vobis.

25. Dico his, qui audiunt: Qui habet, dabitur illi, et qui non habet, etiam id, quod habere potest, auferetur ab eo.

Luc. VI, 39. Et dixit illis similitudi-nem: Numquid potest caecus caecum du-cere? nonne ambo in foveam cadunt?

40. Non est discipulus praestantior ma-gistro suo: omnis autem perfectus erit sicut magister eius.

41. Cur respicis ad festucam, quae est in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, eiiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui.

Matth. VII, 6. Nolite dare sanctum ca-nibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedi-bus suis, et conversi saucient vos.

Luc. XI, 5. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media no-cte, et dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6. quoniam amicus venit de via ad me, et non habeo, quod offeram ei:

7. et ille amicus deintus respondens di-cat illi: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in lecto: non possum surgere, et dare tibi.

8. Amen, dico vobis: Etsi non dabit illi propter amicitiam, propter importunitatem tamen eius surget, et dabit illi, quod petiit ab eo.

9. Et ego dico vobis: Petite, dabitur vobis: quaerite, invenietis: pulsate, aperie-tur vobis.

10. Omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur.

11. Quis ex vobis pater, cuius filius pe-tit ab eo panem: numquid lapidem dabit illi? Et si petierit ab eo piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

12. Et si ovum petierit ab eo: numquid porriget illi scorpionem?

13. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data, eaque dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est, dabit spiritum sanctum petentibus se?

Matth. VII, 12. Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est Lex, et Prophetae.

13. Intrate per angustam portam, lata enim porta, et spatiosa via ducit ad per-ditionem, et multi sunt, qui incedunt per eam.

14. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam: et pauci sunt, qui inveniunt eam!

15. Attendite a falsis prophetis, qui ve-niunt ad vos in vestimentis agnorum, cum intrinsecus sint lupi rapaces:

16a. a fructibus autem eorum cognosce-tis eos.

Luc. VI, 44. Quia unaquaeque arbor

de fructu suo cognoscitur. Non enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.

Matth. VII, 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos producit, mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus producere, neque arbor mala bonos fructus facere.

Luc. VI, 45. Bonus homo de bono thesauro, qui est in corde suo, profert bona, et malus homo de malo thesauro, qui est in corde suo, profert mala. Ex abundantia enim cordis labia loquuntur.

Matth. VII, 19. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

21. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est.

22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?

23. Tunc dicam illis: Nunquam novi vos: discedite a me, servi iniquitatis.

Luc. VI, 47. Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis, cui similis sit:

48a. Similis est homini sapienti, qui aedificavit domum, et fodit, et profundum petiit, et posuit fundamenta super petram:

Matth. VII, 25. et descendit pluvia, et inundarunt flumina, et flaverunt venti, et agitarunt domum illam, et non cecidit: fundamenta enim eius posita erant super petram.

26. Et omnis, qui audit verba mea haec, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam, absque fundamento:

27. et descendit pluvia, et inundarunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.

## CAPUT XI.

28. Et cum consummasset Iesus verba haec, admirabantur turbae super doctrina eius:

29. quia docebat eos sicut potestatem habens, non sicut Scribae eorum, et Pharisaei.

VIII, 1. Cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae.

5a. Et cum introisset Iesus Capharnaum,

Luc. VII, 2. praeclari cuiusdam ducis servus, illi carus, male habebat, et iam proximus erat morti.

3. Et audivit de Iesu, et venit ad eum cum senioribus Iudaeorum;

Matth. VIII, 5b. et rogavit eum,

6. et dixit: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur.

Luc. VII, 4. Et rogabant eum Seniores sollicite, dicentes: dignus est, ut hoc illi fiet;

5. diligit enim gentem nostram, et etiam synagogam ipse aedificavit nobis.

Matth. VIII, 7. Ait illi Iesus; Ego veniam, et sanabo eum. Respondit ille dux, et ait:

8. Domine, non sum dignus, ut te obumbret tectum meum, sed sufficit ut proferas verbum, et sanabitur puer meus.

Luc. VII, 8. Nam et ego homo sum sub obedientia potestatis, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo, ut faciat hoc, et facit.

9a. Quo audito Iesus miratus est, et conversus, dixit turbis secum venientibus:

Matth. VIII, 10b. Amen, dico vobis: non inveni talem fidem in Israel.

11. Dico vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum:

12. fiii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.

13. Et dixit Iesus illi duci: Vade, sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Luc. VII, 10. Et dux reversus est domum, et invenit servum illum infirmum iam sanum.

11. Et postridie ibat in civitatem, quae vocatur Nain; et cum eo discipuli eius, et turba copiosa.

12. Cum autem appropinquaret portae civitatis, vidit quosdam, qui comitabantur defunctum, filium unicum matris suae, et haec vidua erat; et turba civitatis multa cum illa.

13. Quam cum vidisset Iesus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.

14. Et abiit, et accessit ad loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico: Surge.

15. Et resedit, qui erat mortuus, et coepit loqui. Et dedit illum matri suae.

16. Accepit autem omnes timor; et magnificabant Deum, dicentes: Propheta magnus surrexit in nobis, et Deus visitavit plebem suam.

17. Et divulgata est haec fama in universam Iudaeam de eo, et in omnem circa regionem.

Matth. VIII, 18. Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit ire trans fretum.

Luc. IX, 57b. Et ambulantibus illis in via,

Matth. VIII, 19. accessit unus Scriba, et ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris.

20. Dixit ei Iesus: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos: Filius autem hominis locum non habet, ubi caput reclinet.

Luc. IX, 59. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit ei: Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum.

60. Dixit ei Iesus: Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem sequere me, et annuntia regnum Dei.

61. Et ait illi alter: Sequar te, Domine, sed permitte mihi primum ire, et salutare domum meam, et revertar.

62. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

Marc. IV, 35a. Et ait illis in illa die, cum sero esset factum:

Luc. VIII, 22b. Transfretemus trans stagnum,

Marc. IV, 36a. Et dimittens turbas,

Luc. VIII, 22. ascendit Iesus in naviculam, et sedit ipse et discipuli eius.

Marc. IV, 36b. Et aliae naves erant cum illis.

Matth. VIII, 24a. Et motus magnus turbine et vento excitatus est in mari,

Luc. VIII, 23. et prope erat navicula, ut, prae fluctuum copia, submergeretur.

Marc. IV, 38a. Iesus autem erat in puppi super cervical dormiens.

Matth. VIII, 25. Et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum, dicentes ei: Domine, salva nos, ecce perimus.

Luc. VIII, 24b. At ille surgens increpavit ventum et fluctus aquae;

Marc. IV, 39b. et dixit mari: Quiesce, admonitum es enim. Et tacuit ventus, et facta est tranquillitas magna.

40a. Et ait illis: Quid ita timidi estis? et cur non habetis fidem? Et timuerunt timore magno;

Luc. VIII, 25b. ac mirati sunt, dicentes ad invicem: Quis putas hic est, qui et ventis et fluctibus et mari imperat, et obediunt ei?

26. Et abierunt, et venerunt ad regionem Hadarenorum, quae est trans fretum contra terram Galilaeae.

27a. Et cum e navi egressus esset ad terram,

Marc. V, 2b. occurrit ei de monumentis

Luc. VIII, 27b. vir, qui habebat daemonium iam temporibus multis, et nullo vestimento induebatur; neque in domo manebat, sed in monumentis;

Marc. V, 3b. et neque catenis quisquam poterat eum costringere,

4a. etenim quoties catenis et compedibus vinciebatur, dirumpebat catenas, et compedes comminuebat,

Luc. VIII, 29b. et agebatur a daemonio in desertum;

Marc. V, 4b. atque nemo poterat eum domare.

5a. Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat,

Matth. VIII, 28b. ita ut nemo posset transire per viam illam,

Marc. V, 5b. et clamabat atque concidebat se lapidibus.

6. Videns autem Iesum a longe, cucurrit, ed adoravit eum.

7a. Et clamans voce magna dixit:

Luc. VIII, 28b. Quid nobis, et tibi est, Iesu, Fili Dei altissimi?

Marc. V, 7b. adiuro te per Deum, ne me torqueas.

Luc. VIII, 29a. Et praecepit Iesus spiritui immundo, ut exiret ab homine. A multo enim tempore erat in captivitate illius.

30. Interrogavit autem illum Iesus: Quodnam est nomen tuum? Dixit ei: Legio; quia intraverant daemonia multa in eum.

31. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent.

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte; et rogaverunt eum daemones illi, ut permitteret eis in porcos ingredi. Et permisit illis.

35a. Exierunt ergo daemonia ab homine, et intraverunt in porcos;

Marc. V, 13b. et cucurrit grex ad verticem, et praecipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in aqua.

Luc. VIII, 34. Et ut viderunt pastores quid acciderat, fugerunt, et nuntiaverunt iis, qui erant in civitatibus et in villis.

35. Quidam autem exierunt videre, quod factum est, et venerunt ad Iesum, et invenerunt hominem sedentem, a quo daemonia exierant, vestitum ac verecundum ad pedes Iesu; et timuerunt.

36. Et nuntiaverunt quod viderant, et quomodo sanus factus esset ille vir, in quo daemonium fuerat,

Marc. V, 16b. et etiam de porcis.

## CAPUT XII.

Luc. VIII, 37. Et rogavit illum omnis multitudo Hadarenorum, ut discederet ab ipsis, quia magno timore tenebantur.

Matth. IX, 1. Iesus autem ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.

Luc. VIII, 38. Et rogabat vir, a quo daemonia exierant, ut apud eum maneret. Dimisit autem eum Iesus, et dixit illi:

39. Redi in domum tuam, et narra quae tibi fecit Deus.

Marc. V, 20. Et abiit, et coepit praedicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus; et omnes mirabantur.

21a. Et cum transcendisset Iesus in navi trans fretum,

Luc. VIII, 40b. excepit illum turba multa; erant enim omnes exspectantes eum.

41a. Et vir quidam, cui nomen Iairus, princeps synagogae, cecidit ad pedes Iesu,

Marc. V, 23a. et deprecatus est eum multum, dicens: Mihi est filia unica, et iam proxima est morti;

Matth. IX, 18b. sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet.

19. Et surgens Iesus, et discipuli eius, sequebantur eum.

Marc. V, 24b. Et comitabatur eum turba multa; et comprimebant eum.

25. Et mulier, in qua erat profluvium sanguinis annis duodecim,

26. et fuerat multa perpessa a compluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat,

27. cum audisset de Iesu, venit in impetu turbae retro, et tetigit vestimentum eius;

28. secreto enim dicebat intra se: Si vestimentum eius tetigero, salva ero.

29. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, et sensit in corpore suo, quod sanata esset a plaga sua.

30. Et statim Iesus in semetipso cognovit, quia virtus exierat de illo, et conversus ad turbam, dixit: Quis tetigit vestimenta mea?

Luc. VIII, 45b. Negantibus autem omnibus, dixit ei Simon Cephas, et qui cum illo erant: Praeceptor, turbae te comprimunt, et coarctant, et tu dicis: Quis me tetigit?

46. At ille dixit: Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse.

47a. Videns autem mulier illa, quia non latuit eum,

Marc. V, 33a. timens et tremens, quia sciebat quod factum esset in se, venit,

Luc. VIII, 47b. et procidens adoravit eum, et ob quam causam tetigerit, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata fuerit.

48. Iesus autem dixit ei: Confortare, filia, fides tua salvam te fecit: vade in pace,

Marc. V, 34b. et esto sana a plaga tua.

Luc. VIII, 49. Adhuc eo loquente, venit quidam e domo principis synagogae, et dixit ei: Mortua est filia tua, noli vexare Magistrum.

50. Iesus autem audiens, dixit patri puellae: Noli timere: sed crede tantum, et salva erit.

Marc. V, 37. Et non sivit quemquam ire secum nisi Simonem Cepham, et Iacobum et Ioannem fratrem Iacobi.

38. Et venerunt in domum archisynagogi, et vidit eos turbatos, flentes et eiulantes.

39. Et ingressus, ait illis: Quid turbamini plorantes? puella non est mortua, sed dormit.

Luc. VIII, 53. Et deridebant eum, scientes, quod mortua esset.

Marc. V, 40. Ipse vero eiectis omnibus foras, assumsit patrem et matrem puellae, et Simonem, et Iacobum et Ioannem, et ingressus est locum, ubi puella erat iacens.

41. Et tenens manum puellae, ait illi: Puella, surge.

Luc. VIII, 55a. Et reversus est spiritus eius, et surrexit continuo, et ambulavit;

Marc. V, 42b. erat circa annorum duodecim.

Luc. VIII, 55b. Et iussit illi dari manducare.

56. Et obstupuit pater eius stupore magno, eosque admonuit ne alicui dicerent, quod factum erat.

Matth. IX, 26. Et exiit fama haec in universam terram illam.

27. Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo caeci, clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David.

28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum illi duo caeci. Et dixit eis Iesus: Creditis, quia hoc possum facere? Dixerunt ei: Utique, Domine.

29. Tunc tetigit oculos eorum, dixitque: Sicut credidistis, fiat vobis.

30. Et statim aperti sunt oculi eorum; et comminatus est illis Iesus, dicens: Videte, ne quis sciat.

31. Illi autem exeuntes, divulgaverunt notitiam in tota terra illa.

32. Egressus autem Iesus, obtulerunt ei mutum, daemonium habentem.

33. Et eiecto daemonio, locutus est mutus, et miratae sunt turbae, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israel.

35. Et circuibat Iesus omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et curans omnem infirmitatem et languorem. Et multi sequebantur eum.

36. Et ut Iesus vidit turbas, misertus est eis, quia erant defatigati, et derelicti sicut oves non habentes pastorem.

X, 1a. Et vocavit duodecim discipulos suos,

Luc. IX, 1b. et dedit illis virtutem et potestatem multam super omnia daemonia, et infirmitates.

2. Et misit illos binos praedicare regnum Dei, et sanare infirmos.

Matth. X, 5b. Et praecepit eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis:

6. attendite potissimum ad oves, quae perierunt de filiis Israel.

7. Euntes autem praedicate, dicentes: Appropinquavit regnum caelorum.

8. Infirmos curate, leprosos mundate,

daemones eiicite: gratis accepistis, gratis date.

9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque aes in zonis vestris:

10ª. neque aliquid tuleritis in via,

Marc. VI, 8ᵇ. nisi virgam tantum; non peram, neque panem,

Luc. IX, 3ᵇ. neque duas tunicas habeatis:

Matth. X, 10ᵇ. neque calceamenta, neque baculum;

Marc. VI, 9. sed calceati eritis sandaliis:

Matth. X, 10ᶜ. dignus est enim operarius cibo suo.

11. In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec exeatis.

12. Intrantes autem in domum, salutate eam.

13. Et si domus fuerit digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.

14ª. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes vos de domo illa, aut de civitate illa,

Marc. VI, 11ᵇ. excutite pulverem, quae est sub pedibus vestris, super eos in testimonium.

Matth. X, 15. Amen, dico vobis: Terrae Sodomae et Gomorrhae requies erit in die iudicii, prae illa civitate.

## CAPUT XIII.

16. Ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et integri sicut columbae.

17. Cavete autem ab hominibus, qui tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos,

18. et ad presides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus.

19, Cum autem tradent vos, nolite praemeditari et cogitare, quid loquamini, sed dabitur vobis in illa hora, quid necesse est ut loquamini:

20. non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri loquitur in vobis.

21. Tradet frater fratrem in mortem, et pater filium: et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient:

22. et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum: qui autem toleraverit usque in finem, hic salvus erit.

23. Cum eiicient vos de civitate ista, fugite in aliam. Amen, dico vobis: non consummabitis omnes civitates populi Israel, donec veniat Filius hominis.

24. Non est discipulus praestantior magistro suo, nec servus domino suo:

25. sufficit enim discipulo, ut sit sicut magister eius, et servo, sicut dominus eius. Si patremfamilias Beelzebul vocaverunt: quanto magis domesticos eius?

26. Ne ergo timueritis eos: nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non manifestabitur, et notorium fiet.

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite vos in lumine,

Luc. XII, 3ᵇ. et quod auribus credidistis in cubiculis, praedicabitur super tectum.

4ª. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus,

Matth. X, 28ᵇ. animam autem non possunt occidere.

Luc. XII, 5ª. Ostendam vobis, quem timeatis:

Matth. X, 28ᶜ. illum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam:

Luc. XII, 5ᵇ. ita, dico vobis: Hunc praecipue timete.

Matth. X, 29. Nonne duo passeres asse veneunt in caupona? et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?

30. Quod autem ad vos spectat, etiam capilli capitis vestri numerati sunt.

31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.

Luc. XII, 51. Putatis, quia pacem veni mittere in terram? Non veni mittere pacem, sed separationem.

52. Erunt ex hoc quinque in domo una, tres ex illis divisi erunt in duos, et duo in tres.

53. Dividentur pater in filium suum, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem suam, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam:

Matth. X, 36. et inimici hominis erunt domestici eius.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam intensiori amore quam me, non est me dignus.

38. Et omnis, qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus.

39. Qui invenit animam suam, perdet illam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

40. Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum, qui me misit.

41. Et qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.

42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae tantum in nomine discipuli:

Marc. IX, 40b. Amen, dico vobis: non perdet mercedem suam.

Matth. XI, 1. Et cum consummasset Iesus praecepta duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, et praedicaret in civitatibus eorum.

Luc. X, 38. Et dum irent in via, intraverunt in quoddam castellum; et mulier, Martha nomine, hospitata est illum in domo sua;

39. et huic erat soror nomine Maria, quae, veniens, sedit secus pedes Domini, et audiebat verba illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium; quae venit, et ait illi: Domine, non est tibi curae, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic illi, ut me adiuvet.

41. Respondit Iesus, et dixit illi: Martha, Martha, tu sollicita es et turbata erga plurima.

42. Porro unum est necessarium. Maria enim optimam partem sibi elegit, quae non auferetur ab ea.

Marc. VI, 12. Et exeuntes Apostoli, praedicabant hominibus, ut poenitentiam agerent,

13. et daemonia multa eiiciebant, et ungebant olio multos aegros, et sanabant eos.

Luc. VII, 18. Et nuntiaverunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.

Matth. XI, 2a. Ioannes autem, cum audisset in carcere opera Christi,

Luc. VII, 19. vocavit duos de discipulis suis, et misit eos ad Iesum, dicens: Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?

20. Et venerunt ad Iesum, et dixerunt ei: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?

21. In illa autem hora multos sanavit ab infirmitatibus, et a plagis spiritus mali, et caecis multis donavit visum.

22. Respondit Iesus, et dixit illis: Ite, et renuntiate Ioanni omnia, quae vidistis et audistis: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

23. et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

24. Et cum discessissent discipuli Ioannis, coepit Iesus de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Secus, quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce, qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt.

26. Secus, quid existis videre? Prophetam? Utique dico vobis: et plus quam prophetam.

27. Hic est, de quo scriptum est: Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, aptare viam ante te.

# CAPUT XIV.

Matth. XI, 11. Amen, dico vobis: Non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo.

Luc. VII, 29. Et omnis populus, qui audiebat, et publicani iustificaverunt Deum, quia baptizati erant baptismo Ioannis.

30. Pharisaei autem et Scribae consilium Dei iniuria affecerunt in semetipsis, quia non erant baptizati ab eo.

Matth. XI, 12ª. A diebus autem Ioannis Baptistae usque nunc regnum caelorum violentia rapitur.

Luc. XVI, 16. Lex et Prophetae usque ad Ioannem: exinde regnum Dei evangelizatur, et omnes urgent se se, ut ingrediantur,

Matth. XI, 12ᵇ. et violenti rapiunt illud.

13. Omnes prophetae, et lex usque ad Ioannem prophetaverunt,

14. et si vultis, recipite: ipse est Elias, qui venturus est.

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

Luc. XVI, 17. Facilius est caelum et terram transire, quam de lege unum apicem cadere.

VII, 31ᵇ. Cui ergo assimilabo homines generationis huius? et cui similes sunt?

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, qui innuunt sociis suis, et dicunt: Cantavimus vobis, et non saltastis: lamentavimus vobis, et non plorastis.

33. Venit Ioannes Baptista, non manducans panem, neque bibens vinum, et dixistis: Daemonium habet.

34. Venit autem Filius hominis manducans et bibens, et dixistis: Ecce, homo devorator, et bibens vinum, et amicus publicanorum et peccatorum.

35. Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

Marc. III, 20. Et cum hoc dixisset, venerunt ad domum; et convenit ad eum iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.

Luc. XI, 14. Et erat eiiciens daemonium, quod erat mutum. Et cum eiecisset daemonium illud, locutus est mutus; et admiratae sunt turbae.

Matth. XII, 24. Pharisaei autem audientes, dixerunt: Hic non eiicit daemones nisi in Beelzebul principe daemoniorum, qui in eo est.

Luc. XI, 16. Et alii, tentantes eum, signum de caelo quaerebant ab eo.

Matth. XII, 25. Iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis in parabolis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur; et omnis domus vel civitas, divisa contra se, non stabit.

26ª. Et si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est:

Marc. III, 26ᵇ. et non poterit stare, sed erit finis eius.

Matth. XII, 26ᵇ. Quomodo ergo stabit regnum eius?

Luc. XI, 18ᵇ. quia dicitis in Beelzebul me eiicere daemonia?

Matth. XII, 27. Et si ego in Beelzebul eiicio daemones: filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.

28. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio daemones, igitur appropinquavit in vos regnum Dei.

29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa eius diripere, nisi prius securum se reddiderit de forti? Et tunc domum illius diripiet.

Luc. XI, 21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet.

22. Si autem fortior eo supervenerit, vincet eum, et universa arma eius, in quibus confidebat, auferet, et spolia eius distribuet.

23. Qui non est mecum, contra me est: et qui non colligit mecum, profecto dispergit.

Marc. III, 28. Ideo dico vobis: Quoniam omnia dimittentur hominibus peccata, et blasphemiae, quibus blasphemaverint:

29. qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeternae poenae.

30. Quoniam dicebant, in eo esse spiritum immundum,

Matth. XII, 32. dixit iterum: Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in saeculo futuro.

33. Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum: aut facite arborem malam, et fructum eius malum: siquidem ex fructu eius arbor agnoscitur.

34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia cordis os loquitur.

Luc. VI, 45a. Bonus homo de bono thesauro, qui est in corde suo, profert bona, et malus homo de malo thesauro, qui est in corde suo, profert mala.

Matth. XII, 36. Dico vobis: Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, exquiretur ab eis ratio de eo in die iudicii;

37. quia ex verbis tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

Luc. XII, 54. Et dixit ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Aqua venit; et ita fit;

55. et cum flaverit austrum, dicitis: Quia aestus erit; et fit.

Matth. XVI, 2b. Et facto vespere, dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim caelum.

3. Et mane dicitis: Hodie tempestas, rutilat enim triste caelum.

4. Hypocritae, faciem caeli et terrae diiudicare nostis; signa autem huius temporis discernere nescitis.

XII, 22. Tunc oblatus est ei daemonium habens, mutus et caecus, et sanavit eum, ita ut mutus et caecus loqueretur et videret.

23. Et stupebant omnes turbae, et dicebant: Numquid hic est filius David?

Marc. VI, 30. Et revertentes Apostoli ad Iesum, renuntiaverunt ei omnia, quae egerant et operati fuerant.

31. Et ait illis: Venite, eamus seorsum in desertum, et requiescite pusillum. Multi enim ibant et redibant; et nec spatium habebant, ut vel panem manducarent.

Luc. VII, 36. Post haec venit quidam de Pharisaeis, et rogavit eum, ut panem manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisaei discubuit.

37. Et erat in illa civitate mulier peccatrix, quae ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisaei, sumsit alabastrum unguenti;

38. et stans retro secus pedes eius plorans, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat.

39. Videns autem Pharisaeus, qui vocaverat eum, cogitabat intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quae est illa, et qualis fama illius, cum mulier, quae tangebat eum, esset peccatrix.

## CAPUT XV.

40. Respondit Iesus, et dixit illi: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41. Dixit ei Iesus: Duo debitores erant cuidam foeneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius debebat denarios quinquaginta.

42. Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque. Quis eum plus diligere debet?

43. Respondit Simon, et dixit: Aestimo, is, cui plus dimisit. Dixit ei Iesus: Recte iudicasti.

44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, et aquam ad lavandos pedes meos non dedisti: haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.

45. Osculum tu mihi non dedisti: haec autem, ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxisti: haec autem unguento unxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit mul-

tum. Cui autem parum dimittitur, parum diligit.

48. Et dixit mulieri: Remittuntur tibi peccata.

49. Et coeperunt invitati dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem Iesus ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Ioan. II, 23b. Et multi crediderunt in eum, videntes signa, quae faciebat.

24. Iesus autem non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes homines,

25. et opus ei non erat, ut quis ei testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine.

Luc. X, 1. Post haec autem designavit Iesus ex discipulis suis alios septuaginta, et misit illos binos ante faciem suam in omnem regionem et civitatem, quo erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis: Messis est multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

3. Ite, ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

4. Nolite vobiscum tollere sacculos, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, salutate primum domum illam:

6. et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: et si non fuerit, ad vos revertetur pax vestra.

7. In eadem autem domo manete edentes et bibentes de substantiis eorum: dignus est enim operarius mercede sua. Et nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis,

9. et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcumqne autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, egredimini in plateam, et dicite:

11. Etiam pulverem, qui adhaesit pedibus nostris de civitate vestra, excutimus in vos: tamen hoc scitote: Quia appropinquavit in vos regnum Dei.

12. Dico vobis: Quia Sodomis in die iudicii requies erit, non autem illi civitati.

Matth. XI, 20. Tunc coepit Iesus exprobrare civitatibus, in quibus factae erant plurimae virtutes, et non egerant poenitentiam.

21. Et dixit: Vae tibi, Corozain: vae tibi, Bethsaida, si in Tyro et Sidone facta essent signa, quae facta sunt in te, in cilicio et cinere poenitentiam forsitan egissent.

22. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni requies erit in die iudicii, vobis posthabitis.

23. Et tu, Capharnaum, quae exaltata es usque in caelum, in abyssum decides; si enim Sodomis facta fuissent dona quae facta sunt tibi, mansissent utique usque in hanc diem.

24. Nunc autem dico tibi: Quia terrae Sodomorum requies erit in die iudicii, te posthabita.

Luc. X, 16. Dixit iterum Apostolis suis: Qui vos audit, me audit, et qui me audit, audit eum, qui me misit; qui autem vos spernit, me spernit, et qui me spernit, spernit eum, qui misit me.

17. Reversi sunt autem illi septuaginta cum gaudio magno, et dixerunt ei: Domine, etiam daemonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.

18. Ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.

19. Ecce, ego dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et omne genus inimicorum, et nihil vobis nocebit.

20. Verumtamen, non oportet vos gaudere, quia daemones vobis subiiciuntur; sed gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in caelo.

21. Et in ipsa hora exultavit Iesus Spiritu sancto, et dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Utique, Pater, sic fuit voluntas tua.

22. Et conversus ad discipulos suos, di-

xit illis: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo; et nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater, et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

Matth. XI, 28. Venite ad me omnes, qui defatigati, et onerati estis, et ego reficiam vos.

29. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.

30. Iugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Luc. XIV. 25. Et cum irent turbae multae cum eo, conversus est, et dixit illis:

26. Qui venit ad me, et non odit patrem suum et matrem suam, et fratres et sorores, et uxorem et filios, adhuc et animam suam, non potest meus esse discipulus.

27. Et qui non baiulat crucem suam, et sequitur me, non potest omnino meus esse discipulus.

28. Quis ex vobis volens palatium aedificare, non prius sedens computat sumtus eius, et utrum habeat ad perficiendum illud,

29. ne, posteaquam posuerit fundamenta, et non potuerit perficere, omnes qui eum vident, illudant ei,

30. dicentes: Hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare?

31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32. Alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens ad eum, rogat pacem.

33. Sic cogitet omnis ex vobis, qui vult meus esse discipulus; si enim non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.

## CAPUT XVI.

Matth. XII, 38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisaeis, ut tentarent eum, dicentes; Magister, volumus a te signum videre.

39. Qui respondens ait: Haec generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae.

Luc. XI, 30. Sicut enim fuit Ionas signum Ninivitis, ita erit et Filius hominis generationi isti.

Matth. XII, 40. Et sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.

Luc. XI, 31. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, et condemnabit illos, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis: et hic plus quam Salomon est.

Matth. XII, 41. Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae: et hic maior est Iona.

Luc. XI, 24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat et circuit per loca inaquosa, ut inveniat sibi requiem, et cum non invenerit, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi.

25. Et si venerit, et invenerit eam ornatam et compositam;

26. tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, nequiores se, et ingrediuntur, et habitant in ea. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.

Matth. XII, 45$^{b}$. Sic erit generationi huic pessimae.

Luc. XI, 27. Et cum ipse haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae te lactaverunt.

28. Dixit autem illi: Beatus, qui audit verbum Dei, et custodit illud.

Matth. XII, 46$^{a}$. Adhuc eo loquente ad turbas,

Luc. VIII, 19$^{a}$. venerunt ad illum mater et fratres eius,

Matth. XII, 46$^{b}$. et quaerebant loqui ei,

Luc. VIII, 19$^{b}$. et non poterant prae turba;

Marc. III, 31$^{b}$. et foris stantes, miserunt vocare eum.

Matth. XII, 47. Dixit ei quidam: Ecce, mater tua et fratres tui foris stant, et quaerunt loqui tibi.

48. Respondit dicenti sibi: Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei?

49. Et manu extensa innuens ad discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, et ecce fratres mei.

50. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est.

Luc. VIII, 1. Et post haec circuibat Iesus civitates et castella, praedicans et evangelizans regnum Dei; et duodecim cum illo,

2. et mulieres, quae erant curatae ab infirmitatibus, et a spiritibus malignis: Maria, quae vocatur Magdalene, de qua septem daemonia eiecerat,

3. et Ioanna, uxor Chusae procuratoris Herodis, et Susanna, et aliae multae, quae ministrabant eis de facultatibus suis.

Matth. XIII, 1. Et post haec, exiens Iesus de domo, sedit super litus maris.

2. Et congregatae sunt ad eum turbae multae; et cum magnus factus esset circa eum impetus hominum, ascendit et sedit in navicula; et omnis turba stabat in litore maris,

3. et loquebatur eis multa in parabolis, dicens: Ecce, exiit, qui seminat, seminare.

4a. Et dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam,

Luc. VIII, 5b. et conculcata sunt, et volucres comederunt ea.

Matth. XIII, 5. Alia autem ceciderunt super petram, et alia ubi non habebant terram multam, et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem in terra:

6. sole autem orto aestuaverunt, et quia non habebant radicem, aruerunt.

Luc. VIII, 7. Et quaedam ceciderunt inter spinas, et simul exortae sunt spinae, et suffocaverunt ea,

Marc. IV, 7b. et fructum non dederunt.

Luc. VIII, 8a. Et alia ceciderunt in terram bonam, et speciosam,

Marc. IV, 8b. et ascenderunt et creverunt, et attulerunt fructum, quaedam triginta, quaedam sexaginta, et alia centum.

Luc. VIII, 8b. Haec dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Marc. IV, 10. Et cum essent singulares, accesserunt discipuli eius, et interrogantes eum, dixerunt ei: Quid est haec parabola, et cur loqueris illis in parabolis?

11. Respondens ipse, ait illis: Vobis data est scientia mysteriorum regni Dei: non autem data est illis, qui foris sunt.

Matth. XIII, 12. Qui habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

13. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis: Auditu audient et non intelligent: et videntes videbunt, et non perdiscent.

15. Incrassatum est enim cor populi huius, et in auribus suis gravis factus est auditus eorum, et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis suis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.

16. Vos autem, beati oculi vestri, qui vident, et aures vestrae, quae audiunt.

Luc. X, 23b. Beati oculi, qui vident, quae vos videtis.

Matth. XIII, 17. Amen, dico vobis: Multi prophetae, et iusti cupierunt videre, quae videtis, et non viderunt: et audire, quae auditis, et non audierunt.

Marc. IV, 13b. Si nescitis parabolam hanc, quomodo omnes parabolas cognoscetis?

Matth. XIII, 18. Audite parabolam seminantis.

Marc. IV, 14. Seminans, qui seminat, verbum Dei seminat.

Matth. XIII, 19. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus, et rapit verbum seminatum in corde eius: hic est, qui secus viam seminatus est.

20. Qui autem super petram seminatus est, hic est, qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud:

21ª. attamen cum non habeat in se radicem,

Luc. VIII, 13ᵇ. sed eius fides in illud est ad tempus,

Matth. XIII, 21ᵇ. facta tribulatione, aut persecutione propter verbum, continuo scandalizatur.

22ª. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, et solicitudo saeculi istius, et fallacia divitiarum,

Marc. IV, 19ᵇ. et reliquae concupiscentiae ingrediuntur, et suffocant verbum, et sine fructu efficitur.

Luc. VIII, 15. Quod autem in bonam terram seminatum est, ille est, qui in corde puro et optimo audit verbum meum, et intelligit ac retinet, et fructum affert in patientia,

Matth. XIII, 23ᵇ. et facit aut centesimum, aut sexagesimum, aut trigesimum.

Marc. IV, 26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, sicut homo, qui iaciat sementem in terram,

27. et dormiat, et exurgat nocte et die, et semen germinet et increscat, dum nescit ille.

28. Terra enim perducit illud ad fructum: primum erit herba, deinde spica, et tandem plenum frumentum in spica.

29. Et cum produxerit fructus, statim affert falcem, quoniam adest messis.

## CAPUT XVII.

Matth. XIII, 24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum caeli homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.

25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et seminavit zizania in medio tritici, et abiit.

26. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.

27. Et accesserunt servi patrisfamilias, et dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde in eo zizania?

28. Ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Dixerunt ei servi: Vis, imus et seligimus ea?

29. Ait illis: Nonne forte seligentes vos zizania, eradicaretis cum eis et triticum?

30. Sinite utraque simul crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Seligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum igni, triticum autem congregate in horreum meum.

31ª. Et aliam parabolam proposuit eis, dicens:

Luc. XIII, 18. Cui simile est regnum Dei, et cui assimilabo illud?

Marc. IV, 30ᵇ, et cui parabolae comparabo illud?

Luc. XIII, 19ª. Simile est grano sinapis,

Matth. XIII, 31ᵇ. quod accipiens homo, seminavit in agro suo,

Marc. IV, 31ᵇ. quodque prae universis, quae seruntur in terra, minus est omnibus seminibus, quae sunt super terram:

Matth. XIII, 32ᵇ. cum autem creverit, maius est omnibus oleribus,

Marc. IV, 32ᵇ. et facit ramos magnos, ita ut volucres caeli habitent in ramis eius.

33ª. Et aliam parabolam proposuit eis:

Luc. XIII, 20ᵇ. Cui assimilabo regnum Dei?

Matth. XIII, 33ᵇ. Simile est fermento, quod acceptum mulier subigit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum.

34ª. Haec omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas,

Marc. IV, 33ᵇ. prout poterant audire:

Matth. XIII, 34ᵇ. et sine parabolis non loquebatur eis,

35. ut impleretur dictum a Domino per prophetam: Aperiam in parabolis os meum, et proferam abscondita ante constitutionem mundi.

Marc. IV, 34ᵇ. Secreto autem discipulis suis disserebat omnia.

Matth. XIII, 36. Tunc Iesus dimisit turbas, et venit in domum; et accesserunt ad eum discipuli eius, et dixerunt ei:

Edissere nobis parabolam de zizaniis et agro.

37. Respondit, et ait illis: Qui seminavit bonum semen, est Filius hominis.

38. Ager autem est mundus. Bonum semen sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam.

39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero consummatio saeculi est. Messores autem angeli sunt.

40. Sicut autem seliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi huius:

41. mittet Filius hominis angelos suos, et seligent de regno eius omnia scandala, et omnes operatores iniquitatis,

42. et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium.

43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

44. Iterum simile est regnum caeli thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum.

45. Iterum simile est regnum caeli homini negotiatori, quaerenti pretiosas margaritas.

46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia, quae habuit, et emit eam.

47. Iterum simile est regnum caeli sagenae missae in mare, et ex omni genere congreganti:

48. quam, cum impleta esset, educentes secus littus maris, et sedentes, ut seligerent, bonos miserunt in vasa, malos autem foras proiecerunt.

49. Sic erit in consummatione saeculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum,

50. et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus et stridor dentium.

51. Ait illis Iesus: Intellexistis haec omnia? Dixerunt ei: Utique, Domine.

52. Ait illis: Ideo omnis scriba discipulus regni caelorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

53. Et cum consummasset Iesus omnes parabolas istas, transiit inde,

54ª. et venit in civitatem suam, et docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur.

Marc. VI, 2. Et facto sabbato, coepit Iesus in synagoga docere, et multi ex audientibus admirabantur, et dicebant: Unde huic facta sunt haec? et multi invidebant ei, et mentem non adhibebant illi, sed dicebant: Quae est haec sapientia, quae data est huic, ita ut per manus eius tales efficiantur virtutes?

Matth. XIII, 55. Nonne hic est faber, fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus et Iose, et Simon et Iudas?

56. Et sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Unde huic omnia ista?

57ª. Et scandalizabantur in eo.

Luc. IV, 23. Iesus autem, sciens cogitationes eorum, ait illis: Forsitan dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura primum teipsum: omnia, quae audivimus a te facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua.

24. Ait autem: Amen, dico vobis: Propheta non est acceptus in patria sua, neque inter fratres suos:

Marc. VI, 4. quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in cognatione sua et in domo sua.

Luc. IV, 25. Amen, dico vobis: Multae viduae erant in diebus Eliae prophetae in filiis Israel, quando clausum est caelum annis tribus et mensibus sex, et facta est fames magna in omni terra:

26. et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniae ad mulierem viduam.

27. Et multi leprosi erant in filiis Israel in diebus Elisaei prophetae, et nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Nabathaeus.

Marc. VI, 5. Et non potuit ibi multas virtutes facere propter incredulitatem eorum, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curavit.

6ª. Et mirabatur de defectu fidei eorum.

Luc. IV, 28. Et cum audissent hi, qui erant in synagoga, omnes repleti sunt ira.

29. Et surrexerunt et eiecerunt illum extra civitatem, et duxerunt illum ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum ex cacumine illius.

30. Ipse autem, transiens per medium illorum, abiit.

Marc. VI, 6b. Et circuibat castella circa Nazareth, et docebat in synagogis eorum.

## CAPUT XVIII.

Matth. XIV, 1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Iesu;

Luc. IX, 7b. et omnia, quae fiebant per manum illius, et mirabatur:

Marc. VI, 14. quia fama eius firmiter constiterat.

Luc. IX, 7c. Et quidam dicebant:

8a. Quia Ioannes Baptista surrexit a mortuis; alii vero dicebant: Quia Elias apparuit:

Matth. XVI, 14b. alii vero Ieremiam:

Luc. IX, 8b. et alii: Quia propheta ex antiquis prophetis surrexit:

Marc. VI, 15. et alii dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

16. Dixit Herodes servis suis: Hic est Ioannes Baptista, cuius ego praecidi caput: ipse a mortuis resurrexit,

Matth. XIV, 2b. ideo virtutes efficiuntur ab eo.

Marc. VI, 17. Quia Herodes miserat, ac tenuit Ioannem, et proiecit eum in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quam duxerat.

18. Dicebat enim Ioannes Herodi: non est tibi facultas habere uxorem fratris tui.

19. Herodias autem evitabat illum, et volebat occidere eum; nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, sanctum; et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter obtemperabat ei.

Matth. XIV, 5. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant.

Marc. VI, 21. Et accidit dies solemnis: Herodes enim die anniversarii sui convivium fecit principibus, et ducibus et primis Galilaeae.

22. Et ingressa est filia Herodiadis, et saltavit in medio consessus, et placuit Herodi simulque recumbentibus, et rex ait puellae: Pete a me, quod vis, et dabo tibi;

23. et iuravit illi: Quia quidquid petieris dabo tibi, usque ad dimidium regni mei.

24. Ipsa autem egressa est, et dixit matri suae: Quid petam? Ait illi: Caput Ioannis Baptistae.

25. Et statim ingressa festinanter ad regem, dixit ei: Volo, ut hac hora des mihi in disco caput Ioannis Baptistae.

26. Et rex contristatus est multum; sed propter iusiurandum, et convitatos noluit ei denegare;

27. sed statim misit rex spiculatorem, et praecepit afferri caput Ioannis. Et abiit, et praecidit caput Ioannis in carcere,

28. et attulit illud in disco; et dedit puellae, et puella dedit matri suae.

29. Et audientes discipuli eius, venerunt, et tulerunt corpus eius, et sepelierunt illud;

Matth. XIV, 12b. et venientes nuntiaverunt Iesu quid acciderat.

Luc. IX, 9. Propterea dixerat Herodes: Ioannem ego decollavi: quis est iste, de quo haec audio? Et volebat videre eum.

Matth. XIV, 13a. Iesus autem, cum audisset, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum,

Ioan. VI, 1b. trans mare Galilaeae Tiberii.

Marc. VI, 33. Et multi viderunt illos abeuntes, et cognoverunt eos: et pedestres de omnibus civitatibus properantes, praeiverunt illuc,

Ioan. VI, 2b. quia videbant signa, quae faciebat super infirmos.

3. Subiit ergo in montem Iesus, et ibi sedit cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum festum Paschatis Iudaeorum.

5ª. Et elevatis oculis Iesus, vidit turbam multam, quae accesserat ad eum:

Marc. VI, 34ᵇ. et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem.

Luc. IX, 11ᵇ. Et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat.

Matth. XIV, 15ª. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, et tempus iam praeteriit:

Marc. VI, 36. dimitte turbas hominum, ut euntes in circumstantes villas et vicos emant sibi panem: nihil enim habent, ut manducent.

Matth. XIV, 16. At ille dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17ª. Dixerunt ei: Non habemus hic.

Ioan. VI, 5ᵇ. Dixit ad Philippum: Unde ememus panem, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus.

7. Dixit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dixit ei unus ex discipulis eius, scilicet Andreas frater Simonis Cephae:

9. Est hic puer, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces: sed haec quantitas quid est hisce omnibus?

Luc. IX, 13. Sed vis ut eamus, et emamus pro omnibus quod manducent? Etenim non sunt nobis plus quam quinque panes isti, et duo pisces.

Ioan. VI, 10. Erat autem foenum multum in loco illo. Dixit eis Iesus: Disponite omnes, ut sedeant super foenum per contubernia quinquageni. Et ita fecerunt discipuli.

Marc. VI, 40. Et discubuerunt omnes per contubernia centeni et quinquageni.

Matth. XIV, 18. Tunc ait illis Iesus: Afferte illos quinque panes, et duos pisces.

Marc. VI, 41. Et cum attulissent, accepit Iesus panes et pisces, et intuens in caelum, benedixit et fregit, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos.

Matth. XIV, 19ᵇ. Et discipuli posuerunt ante turbas panes et pisces.

20ª. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

Ioan. VI, 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quae superaverunt fragmenta, ne aliquid pereat.

13. Et collegerunt, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, quae superfuerunt his, qui manducaverant ex quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus.

Matth. XIV, 21. Et qui manducaverant, erant quinque millia hominum, exceptis mulieribus et parvulis.

Marc. VI, 45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, et praecedere eum trans fretum in Bethsaidam, dum ipse dimitteret turbas.

Ioan. VI, 14. Illi autem homines, qui viderant signum, quod fecerat Iesus, dixerunt: Hic est vere Propheta, qui venit in mundum.

15. Et Iesus sciens quia venturi erant, ut tollerent eum, et facerent eum regem, reliquit eos, et ascendit in montem ipse solus orare.

16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ad mare.

17. Et sedentes in navicula, venerunt trans mare in Capharnaum; et tenebrae dominabantur, et non venerat ad eos Iesus.

18. Mare autem, vento vehementi flante, intumescebat.

Matth. XIV, 24. Navicula autem pluribus stadiis a terra distabat, et multum iactabantur fluctibus; erat eis contrarius ventus.

## CAPUT XIX.

25. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos Iesus ambulans super aquam.

Ioan. VI, 19. Postquam iter difficile fecissent quasi stadiorum viginti quinque aut triginta, et cum ipse accessisset ad navim eorum,

Matth. XIV, 26. viderunt illum discipuli eius super aquam ambulantem, et turbati sunt, existimantes esse phantasma. Et prae timore clamaverunt.

27. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Confortamini. Ego sum: nolite timere.

28. Respondens autem Cephas dixit ei: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas.

29. Iesus autem dixit ei: Veni. Et descendens Cephas de navicula, ambulabat super aquam, ut veniret ad Iesum.

30. Videns autem ventum validum, timuit, et cum coepisset mergi, levavit vocem suam, et dixit: Domine, salva me.

31. Et continuo Dominus extendit manum suam, et apprehendit eum, ac dixit illi: Modicae fidei, quare dubitasti?

32. Et cum appropinquasset Iesus, ascendit in naviculam ipse et Simon, et statim quievit ventus.

33. Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum dicentes: Vere Filius Dei es.

Ioan. VI, 21b. Et statim navis illa pervenit ad terram, ad quam tendebant.

Marc. VI, 54a. Cumque egressi essent de navi in terram,

51. valde mirabantur ad invicem, et intra se stupebant;

52. non enim intellexerant de panibus, quia cor eorum obtusum erat.

54b. Et cum populus regionis illius cognovisset adventum Iesu,

55. percurrentes universam terram illam, coeperunt in grabatis eos, qui se male habebant, afferre, ubi audiebant eum esse.

56. Et quocumque introibat in vicos, et in civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent; et quotquot tangebant eum, sani et salvi fiebant.

Ioan. VI, 22. Altera die turba, quae stabat trans mare, aspexit, et alia navicula non erat ibi nisi illa, in quam ascenderant discipuli; et quia Iesus non ascendisset cum discipulis suis in navim;

23. erant autem aliae naves de Tiberiade iuxta locum, ubi manducaverant panem, benedicente Iesu.

24. Cum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas illas, et venerunt Capharnaum, et quaesierunt Iesum.

25. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Magister, quando huc venisti?

26. Respondit Iesus, et dixit eis: Amen, amen, dico vobis: Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis panem, et saturati estis.

27. Operamini non cibum, qui perit, sed cibum, qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc Pater signavit Deus.

28. Dixerunt ei: Quid faciemus, ut operemur opus Dei?

29. Respondit Iesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.

30. Dixerunt ei: Quod tu fecisti signum, ut videremus, et crederemus tibi? quid operatus es?

31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare.

32. Dixit eis Iesus: Amen, amen, dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum.

33. Panis Dei est ille, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.

34. Dixerunt ei: Domine, semper da nobis panem hunc.

35. Dixit eis Iesus: Ego sum panis vi-

tae: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet in aeternum.

36. Sed dixi vobis: Quia vidistis me, et non creditis.

37. Omne, quod dedit mihi Pater meus, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras:

38. quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed ut faciam voluntatem eius, qui misit me.

39. Et haec est voluntas eius, qui misit me: Ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

40. Haec est voluntas Patris mei: Ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

41. Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis, qui de caelo descendi.

42. Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos cognoscimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Profecto ego de caelo descendi?

43. Respondit Iesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem:

44. nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

45. Est scriptum in Prophèta, quod essent omnes docibiles Dei. Omnis ergo, qui audivit a Patre, et ab eo didicit, venit ad me:

46. non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est a Deo, hic est, qui vidit Patrem.

47. Amen, amen, dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam.

48. Ego sum panis vitae.

49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.

50. Hic est panis de caelo descendens, ut qui manducet ex eo, non moriatur.

51. Ego sum panis vitae, qui de caelo descendi.

52. Et si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, corpus meum est, quod tradam pro mundi vita.

53. Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest nobis corpus suum dare ad manducandum?

54. Dixit eis Iesus: Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis corpus Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55. Qui manducat ex corpore meo, et bibit ex sanguine meo, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

56. Corpus meum vere est cibus, et sanguis meus vere est potus:

57. qui manducat corpus meum, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.

59. Hic est panis, qui de caelo descendit: non autem eo modo, quo manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat ex hoc pane, vivet in aeternum.

60. Hoc dixit in synagoga, dum doceret in Capharnaum.

61. Et multi ex discipulis eius, audientes, dixerunt. Profecto durum est hoc verbum, quis potest illud audire?

## CAPUT XX.

62. Sciens autem Iesus in semetipso, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ad locum, ubi erat prius?

64. Spiritus est, qui vivificat, corpus autem non prodest quidquam: sermo, quem locutus sum vobis, spiritus est et vita.

65. Sed quidam ex vobis non credunt. Sciebat enim antea Iesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.

66. Et ait illis: Propterea dixi vobis:

Quia nemo potest venire ad me, nisi hoc fuerit ei datum a Patre.

67. Propter autem hoc verbum multi discipulorum reversi sunt retro, et non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire?

69. Respondit Simon Cephas, et ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.

70. Et nos credidimus, et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei vivi.

71. Dixit eis Iesus: Nonne ego elegi vos, duodecim? et ex vobis unus diabolus est.

72. Dixit hoc propter Iudam, filium Simonis Iscariotem; qui, cum esset ex duodecim, traditurus erat eum.

Luc. XI, 37. Et cum loqueretur, venit quidam pharisaeus, et rogavit illum, ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit.

38. Pharisaeus autem, cum vidisset eum, miratus est, quia non purificatus esset ante prandium.

39. Ait illi Iesus: Nunc vos, Pharisaei, quod de foris est calicis et catini, mundatis, et putatis vos esse mundos: quod autem intus est vestrum, plenum est iniustitia et iniquitate.

40. Stulti, nonne, qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?

41. Nunc substantias vestras date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.

Marc. VII, 1. Et accesserunt ad eum Pharisaei, et Scribae, venientes ab Ierosolymis.

2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius, non lotis manibus suis, manducare panem, vituperarunt.

3. Omnes enim Iudaei et Pharisaei, nisi crebro laverint manus suas, non manducant, tenentes traditionem seniorum,

4. et quod emptum est a foro, nisi lavent, non manducant; et alia multa observant, ex iis, quae acceperunt, baptismata calicum et mensurarum, et aeramentorum et lectorum;

5. et interrogabant eum Scribae et Pharisaei: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditiones seniorum, sed, non lotis manibus suis, manducant panem?

Matth. XV, 3. Respondit Iesus, et ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

4ª. Deus dixit: Honora patrem et matrem;

Marc. VII, 10ᵇ. et: Qui maledixerit patri suo, et matri suae, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo de patre aut matre, donum est quodcumque ex me acceperint:

12. et ultra non sinunt eum quidquam facere pro patre suo, aut matre,

13. et irritum faciunt, ac reiiciunt verbum Dei propter traditionem, quam tradidistis, et praecepistis circa ablutionem calicum, et mensurarum: et similia huiusmodi multa facitis.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum.

9. Bene facitis, delinquentes in praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis?

Matth. XV, 7. Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias propheta, dicens:

8. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum admodum longe est a me.

9. Inaniter autem timent me, docentes mandata hominum.

Marc. VII, 14. Ed advocans Iesus omnem turbam, dixit illis: Audite me omnes, et intelligite.

15. Nihil est extra hominem iterum introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quod de eo procedit, illud est, quod coinquinat hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

Matth. XV, 12. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisaei, qui audierunt verbum hoc, indignati sunt?

13. Respondit, et dixit eis: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, qui in caelis est, eradicabitur.

14. Sinite illos: ipsi enim, cum sint caeci, caecos ducunt: caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.

Marc. VII, 17ª. Et cum Iesus introisset in domum a turba,

Matth. XV, 15. rogavit eum Simon Cephas, dicens ei: Domine, edissere nobis parabolam istam.

16ª. Ait illis:

Marc. VII, 18. Sic et vos non comprehenditis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum immundum reddere,

19. quia non intrat in cor eius, sed in stomachum vadit, et inde proiicitur foras in secessum, purgans omnes escas?

Matth. XV, 18. Quod procedit de ore hominis, de corde egreditur, et hoc est, quod coinquinat hominem.

Marc. VII, 21. Ab intus de corde hominum malae cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes,

22. furta, testimonium falsum, homicidia, iniustitia, nequitia, dolus, verbum malum, blasphemia, superbia, stultitia.

23. Omnia haec mala ab intus procedunt ex corde, et haec sunt, quae coinquinant hominem.

Matth. XV, 20ᵇ. Non lotis autem manibus si quis manducet, non coinquinatur.

21ª. Et egressus inde Iesus,

Marc. VII, 24ᵇ. venit in fines Tyri et Sidonis; et ingressus quasdam domus, nolebat, ut quis sciret de eo, et non potuit latere.

25. Statim enim audivit de eo mulier Cananaea, cuius filia habebat spiritum immundum.

26. Et illa mulier erat gentilis ex Hemesen Syriae.

Matth. XV, 22. Et egressa post eum clamavit, dicens: Miserere mei, Domine, Fili David: Filia mea gravissime a daemonio vexatur.

23. Et non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius rogaverunt eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

24. Respondit et ait illis: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt de domo Israel.

25. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine, adiuva me, miserere mei.

26. Ait illi Iesus: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

27. At illa dixit: Utique, Domine; canes etiam edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum, et vivunt.

28ª. Tunc ait illi Iesus: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.

Marc. VII, 29ᵇ. Vade, et propter hunc sermonem exiit daemonium a filia tua.

Matth. XV, 28ᵇ. Et sanata est filia eius in illa hora.

Marc. VII, 30. Et abiit mulier illa domum suam, et invenit filiam suam iacentem supra lectum, et daemonium exiisse ab ea.

## CAPUT XXI.

31. Et iterum exiens Iesus de finibus Tyri et Sidonis, venit ad mare Galilaeae fines versus Decapoleos.

32. Et adduxerunt ei surdum mutum, et petierunt ab eo, ut imponeret illi manum suam, et sanaret eum.

33. Et extrahens eum de turba, abiit seorsum, et expuens super digitos suos, misit in auriculas eius, et tetigit linguam eius,

34. et suspiciens in caelum, ingemuit, et ait illi: Adaperire.

35. Et illa hora apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius; et loquebatur expedite.

36. Et admonuit eos Iesus multum, ne cui dicerent. Et omnia, quae eis prohibebat, illi magis praedicabant;

37. et multum admirabantur, dicentes: Hic bene omnia facit; et surdos fecit audire, et mutos loqui.

Ioan. IV, 4. Et cum transiret per terram Samariae,

5. venit ad civitatem Samaritanorum, quae dicitur Sichar, iuxta praedium, quem dedit Iacob Ioseph filio suo.

6. Erat autem ibi aquae fons Iacob; et Iesus, fatigatus ex itinere, sedit iuxta fontem. Tempus erat quasi hora sexta.

7. Et venit mulier de Samaria haurire

aquàm. Dixit ei Iesus: Da mihi aquam, ut bibam.

8. Discipuli autem eius ingressi erant civitatem, ut emerent sibi cibum.

9. Dixit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudaeus cum sis, petis a me, ut potum tibi praebeam, quae sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudaei Samaritanis.

10. Respondit Iesus, et dixit ei: Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Praebe mihi potum; tu petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vitae.

11. Dixit ei mulier: Domine, situlam non habes, et puteus altus est: unde habes aquam vitae?

12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, et ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius?

13. Respondit Iesus, et dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: omnis autem, qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum:

14. sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

15. Dixit ei mulier illa: Domine, da mihi ex hac aqua, ut non sitiam iterum, neque veniam hinc haurire.

16. Dixit ei Iesus: Vade, et voca virum tuum, et veni huc.

17. Dixit ei: Non habeo virum. Dixit ei Iesus: Bene dixisti: Quia non habeo virum:

18. quinque viros habuisti, et quem nunc habes, non est tuus vir: et in hoc verum dixisti.

19. Dixit ei mulier illa: Domine, video, te esse Prophetam.

20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.

21. Dixit ei Iesus: O mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.

22. Vos adoratis, quod nescitis: nos autem adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudaeis est.

23. Sed veniet hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales adoratores quaerit:

24. etenim Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet illum adorare.

25. Dixit ei illa mulier: Scio, quia Messias veniet; cum ergo venerit ille, docebit nos omnia.

26. Dixit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.

27. Et dum ipse loqueretur, venerunt discipuli eius, et mirati sunt, quomodo cum muliere loqueretur. Nullus autem eorum dixit ei: Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea?

28. Et reliquit mulier hydriam suam, et abiit in civitatem, et dixit hominibus:

29. Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quae feci: numquid ipse est Messias?

30. Et exierunt quidam de civitate, et venerunt ad eum.

31. Interea rogabant eum discipuli eius, dicentes ei: Magister, manduca.

32. Dixit autem eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei quod manducaret?

34. Dixit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, et perficiam opus eius.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses, et messis veniet? Ecce, ego iam dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones quia albae sunt: messis enim venit ante tempus.

36. Et qui metit, mercedem suam accipit, et congregat fructum vitae aeternae, et qui seminat, et qui metit simul gaudent.

37. In hoc enim est verbum verum: Quia alius est, qui seminat, et alius est, qui metit.

38. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum illius mulieris testimonium perhibentis, et dicentis: Quia narravit mihi omnia, quae feci.

40. Et cum venissent ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut apud ipsos maneret. Et mansit apud illos duos dies.

41. Et multi crediderunt in eum propter sermonem eius.

42. Et mulieri dicebant: Nunc non propter dictum tuum credimus in eum: ipsi enim audivimus, et cognovimus, quia hic est vere Messias, Salvator mundi.

43. Post duos autem dies exiit inde Iesus, et abiit in Galilaeam.

44. Iesus autem testatus fuerat, Prophetam in sua patria honorem non habere.

45a. Cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei.

## CAPUT XXII.

Luc. V, 12. Et cum venisset Iesus in quaedam castella, accessit ad eum leprosus, et procidens ad pedes eius, rogabat eum, dicens: Si vis, potes me mundare.

Marc. I, 41. Iesus autem misertus eius, extendit manum suam, et tangens eum, dixit: Ego volo te mundari.

42. Et statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.

43. Et comminatus est ei, et eiecit illum,

44. et dixit ei: Vide, nemini dixeris, sed vade, ostende te Sacerdotibus, et offer pro emundatione tua oblationem, sicut praecepit Moyses in testimonium eorum.

45. At ille egressus coepit praedicare multum, et diffamare notitiam, ita ut non posset Iesus manifeste introire in aliquam ex civitatibus, quia admodum divulgata erat fama eius, sed foris in desertis locis esset.

Luc. V, 15b. Et veniebat ad eum ex pluribus locis populus multus, ut audirent verbum eius, et sanarentur ab infirmitatibus suis.

16. Et secessit ab eis in desertum, et orabat.

Ioan. V, 1. Post haec erat festum Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam.

2. Erat autem Ierosolymis locus paratus pro baptismate, qui cognominatur hebraice Betharrahmat, quinque porticus habens.

3. In his iacebat multitudo magna infirmorum, caecorum, claudorum, et aridorum, exspectantium aquae motum.

4. Angelus enim statis temporibus descendebat in locum baptismatis; et movebat aquam. Et qui prior descendisset post motionem aquae, omnes, quae in eo essent infirmitates, sanabantur.

5. Erat autem quidam homo ibi, qui morbo laborabat iam a triginta et octo annis.

6. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, et cognovisset, quia multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri?

7. Respondens languidus ille, dixit: Utique, Domine: hominem non habeo, ut cum mota fuerit aqua, mittat me in lavacrum: sed dum venio ego, praecedit me alius, et descendit.

8. Dixit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.

9. Et statim sanus factus est homo ille, et surgens, sustulit grabatum suum et ambulavit. Erat autem sabbatum dies ille.

10. Et cum vidissent Iudaei illum, qui sanatus fuerat, dixerunt ei: Sabbatum est, non est tibi potestas tollere grabatum tuum.

11. Respondit, et dixit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, et ambula.

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, et ambula?

13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset; quia Iesus declinavit ab illo loco in alium propter affluentiam turbae, quae erat ibi.

14. Et post duos dies invenit eum Iesus in templo, et dixit illi: Ecce, sanus es: noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Et abiit ille homo, et nuntiavit Iudaeis, quod Iesus esset, qui fecit eum sanum.

16. Propterea persequebantur Iudaei Iesum, et quaerebant interficere eum, quia haec faciebat in sabbato.

17. Iesus autem dixit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

18. Et propter hoc maxime quaerebant eum Iudaei interficere, non solum quia solvebat sabbatum, sed etiam quia Patrem suum dicebat Deum, et aequalem se faciebat Deo. Respondit Iesus, et dixit eis:

19. Amen, amen, dico vobis: Non potest Filius a se facere quidquam, sed quod viderit Patrem facientem: quod fecerit Pater, hoc et Filius similiter facit.

20. Pater diligit Filium suum, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit, et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, eosque vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat.

22. Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio,

23. ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: et qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen, dico vobis: Qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam, et in iudicium non veniet, sed transibit a morte ad vitam.

25. Amen, amen, dico vobis: Veniet hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso,

27. et etiam potestatem iudicium facere, quia Filius hominis est.

28. Nolite mirari hoc, adventum nempe horae, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius,

29. et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.

30. Non possum ego a meipso facere quidquam; sed sicut audio, iudico, et iudicium meum iustum est. Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.

31. Me testimonium perhibente de meipso, testimonium meum non est verum.

32. Alius est, qui testimonium perhibet de me, et scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33. Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine testimonium quaero, sed hoc dico, ut vos salvi sitis.

35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem statim voluistis gloriari in luce eius.

36. Ego autem habeo testimonium maius illo Ioannis. Opera, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:

37. et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis:

38. et verbum eius non firmatum est in vobis, quia, quem misit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini scripturas, in quibus gloriamini vos vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me:

40. et non vultis venire ad me, ut vitam aeternam habeatis.

41. Gloriam ab hominibus non quaero.

42. Sed cognovi vos, quia dilectio Dei non est in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si autem alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam abinvicem accipitis, et gloriam ab unico Deo non quaeritis?

45. Numquid putatis, quod ego accusaturus sim vos apud Patrem? est qui accusat vos, Moyses, in quo vos gloriamini.

46. Si crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me Moyses scripsit.

47. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

# CAPUT XXIII.

Matth. XV, 29. Et transiens inde Iesus, venit secus mare Galilaeae, et ascendens in montem, sedit ibi.

30ª. Et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum claudos, caecos, mutos, aridos, et alios multos, et proiecerunt eos ad pedes Iesu;

Ioan. IV, 45ᵇ. quia viderant omnia signa, quae fecerat Ierosolymis, cum convenerant in die festo,

Matth. XV, 30ᵇ. et sanavit eos omnes.

31. Et illae turbae miratae sunt, videntes mutos loquentes, aridos sanatos, claudos ambulantes, caecos videntes; et magnificabant Deum Israel.

32. Iesus autem, convocatis discipulis suis, dixit illis: Misereor istius turbae, quia triduum perseverant mecum, et non habent, quod manducent, et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via,

Marc. VIII, 3ᵇ. quidam enim ex eis de longe venerunt.

Matth. XV, 33. Dixerunt ei discipuli eius: Unde nobis in deserto panem, quo saturemus totam hanc turbam?

34. Ait illis Iesus: Quot habetis panes? Dixerunt ei: Septem, et paucos pisciculos.

35. Et praecepit turbae, ut discumberent super terram.

36. Et accipiens septem panes, et pisces, benedixit, fregit, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante illos; et discipuli posuerunt ante turbas.

37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quae superfuerunt de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum, praeter mulieres et parvulos.

39. Et, dimissis turbis, ascendit in naviculam, et venit in fines Magheda.

XVI, 1ª. Et venerunt ad eum Pharisaei et Sadducaei,

Marc. VIII, 11ᵇ. et coeperunt conquirere cum eo, quaerentes ab illo, ut ostenderet eis signum de caelo, tentantes eum.

12ª. Et suspirans Iesus in semetipso, dixit: Quod signum quaerit generatio ista

Matth. XVI, 4ᵇ. mala et adultera? Signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum Ionae prophetae.

Marc. VIII, 12ᵇ. Amen, dico vobis: Generationi isti non dabitur signum.

13. Et dimittens eos, ascendit navim, et abierunt trans fretum.

14. Et obliti sunt discipuli eius panem sumere, etenim neque unum panem habebant secum in navi.

15. Et praecepit eis Iesus, dicens: Videte, et cavete a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum, et a fermento Herodis.

Matth. XVI, 7. At illi cogitabant intra se, quia secum non acceperant panem.

8ª. Sciens autem Iesus, dixit eis: Quid cogitatis intra vos, modicae fidei,

Marc. VIII, 17ᵇ. et solliciti estis, quia panem non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc durum est cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? Nec recordamini,

19. quando quinque panes fregi in quinque millia; quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dixerunt: Duodecim.

20. Dixit eis: et iterum septem in quatuor millia: quot sportas fragmentorum plenas sustulistis? Dixerunt: Septem.

21ª. Dixit eis:

Matth. XVI, 11. quomodo non intelligitis, quia non de pane locutus sum vobis, sed ut caveatis a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum?

12. Tunc intellexerunt, quod non dixerit, ut caverent a fermento panis, sed a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum, quam panem vocavit.

Marc. VIII, 22. Post haec venit Bethsaidam, et adduxerunt ei quemdam caecum, et rogaverunt eum, ut illum tangeret.

23. Et apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum, et expuens in oculos eius, ac admota manu sua, interrogavit eum: Quid vides?

24. Et aspiciens ille caecus, dixit ei: Video homines velut arbores ambulantes.

25. Et iterum imposuit manum suam super oculos eius, et restituti sunt, et clare videbat omnia.

26. Et misit illum in domum suam, dicens: Ne ingrediaris neque in vicum, neque alicui in eodem narres.

27. Et egressus est Iesus, et discipuli eius, in castella Caesareae Philippi; et cum ambularet in via ipse et discipuli eius seorsum,

Matth. XVI, 13. interrogavit discipulos suos, dicens: Quid dicunt homines de me, quod sim Filius hominis?

14. Dixerunt ei: Alii dicunt Ioannem Baptistam: alii autem Eliam: alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis.

15. Dixit illis: Vos autem, quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Cephas dixit: Tu es Messias, Filius Dei vivi.

17. Respondens Iesus, dixit ei: Beatus es, Simon fili Iona, caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petra, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non subiicient eam.

19. Tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum in caelo: et quodcumque solveris in terra, erit solutum in caelo.

20. Et comminatus est discipulis suis, eosque admonuit, ut nemini dicerent de ipso, quod esset Messias.

21ª. Et exinde coepit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, et multum pati,

Marc. VIII, 31ᵇ. et reprobari a Senioribus, et a principibus Sacerdotum et a Scribis, occidi, ac die tertio resurgere.

32ª. Et verbum apertum loquebatur.

Matth. XVI, 22. Simon autem Cephas, quasi ipsi compatiens, dixit: Absit hoc a te, Domine.

Marc. VIII, 33ª. Qui conversus, et intuitus discipulos suos, comminatus est Simoni, dicens:

Matth. XVI, 23ᵇ. Vade post me, Satana; offendiculum es mihi, quia non cogitas ea, quae ad Deum pertinent, sed ea, quae ad homines pertinent.

Marc. VIII, 34ª. Et convocatis turbis cum discipulis suis, dixit eis: Qui vult venire post me, abneget semetipsum,

Luc. IX, 23ᵇ. et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.

Marc. VIII, 35. Et omnis, qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: omnis autem, qui perdiderit animam suam propter me, et propter Evangelium meum, salvam faciet eam.

Luc. IX, 25. Quid proficit homo, si acquisierit universum mundum, animam autem suam perdat, aut detrimentum ipsius faciat?

Marc. VIII, 37. Aut quid dabit homo in commutationem animae suae?

38. Omnis, qui me et verba mea denegaverit in generatione ista peccatrice adultera, et filius hominis denegabit eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.

Matth. XVI, 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis sanctis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

## CAPUT XXIV.

Marc. VIII, 39. Et dixit illis: Amen, dico vobis: Sunt enim quidam hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute,

Matth. XVI, 28ᵇ. et Filium hominis venientem in regno suo.

XVII, 1. Et post dies sex assumsit Iesus Simonem Cepham, et Iacobum et Ioannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum seorsum.

Luc. IX, 29ª. Et dum ipsi orarent, transfiguratus est Iesus, et factus est in speciem alterius personae;

Matth. XVII, 2ᵇ. et resplenduit facies eius sicut sol,

Luc. IX, 29ᵇ. et vestitus eius factus

est candidus nimis velut nix, et sicut splendor fulguris

Marc. IX, 2b. ita, ut nihil super terram possit sic candidum fieri.

3. Et apparuerunt illi Moyses et Elias loquentes cum Iesu.

Luc. IX, 31b. Et putabant tempus adventus eius futuri, qui complendus erat in Ierusalem, iam advenisse.

32. Simon autem, et qui cum illo erant, gravati erant sopore somni. Et expergefacti sunt vix, et viderunt gloriam eius, et duos viros, qui stabant apud illum.

33a. Et cum hi coepissent discedere ab illo, ait Simon ad Iesum: Praeceptor, bonum est, nos hic esse:

Matth. XVII, 4b. si vis, faciamus hic tria tabernacula:

Luc. IX, 33b. tibi unum, et Moysi unum, et Eliae unum; nesciens quid diceret,

Marc. IX, 5b. propter timorem, qui eos apprehenderat.

Matth. XVII. 5a. Adhuc eo hoc dicente, et mox nubes lucida obumbravit eos;

Luc. IX, 34b. et cum vidissent Moysen et Eliam intrantes in nubem, iterum timuerunt.

Matth. XVII, 5b. Et audita est vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, quem elegi: ipsum audite.

Luc. IX, 36a. Et cum audiretur haec vox, inventus est Iesus solus.

Matth. XVII, 6. Et audientes vocem discipuli, prae timore, qui apprehenderat eos, ceciderunt in faciem suam.

7. Et accessit Iesus, et tetigit eos, et dixit: Surgite, nolite timere.

8. Levantes autem oculos suos viderunt Iesum sicut erat.

9. Et cum descenderent de monte, praecepit eis Iesus, dixitque illis: Nemini dixeritis quae vidistis, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

Marc. IX, 9a. Et verbum continuerunt apud se,

Luc. IX, 36b. et nemini dixerunt in illis diebus quod viderant;

Marc. IX, 9b. et cogitabant intra se: Quid est hoc verbum, quod dixit nobis: Cum a mortuis resurrexero?

10a. Et interrogaverunt eum discipuli eius, dicentes:

Matth. XVII, 10b. Quid est ergo, quod dicunt Scribae: Quod Eliam oporteat primum venire?

Marc. IX, 11. Ait illis: Elias veniet primum, ut restituat omnia, et quo modo scriptum est de Filio hominis, ut multa patiatur et reprobetur.

12. Sed dico vobis: Quia Elias venit, et non cognoverunt eum, et fecerunt illi, quaecumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.

Matth. XVII, 12b. Sic Filius hominis passurus est ab eis.

13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

Marc. IX, 13. Et in die, quo descenderunt de monte, occurrit ei turba multorum hominum, stans cum discipulis suis, et Scribae disputabant cum illis.

14. Et cum vidissent homines Iesum, recesserunt, et prae gaudio properantes, salutarunt eum.

Luc. XIII, 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisaeorum, dicentes illi: Exi, et vade hinc, quia Herodes quaerit te occidere.

32. Ait illis Iesus: Ite, et dicite vulpi illi: Ecce, eiicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummabor.

33. Verumtamen oportet me hodie et cras curam habere, et sequenti die discedere, quia non potest Propheta perire extra Ierusalem.

IX, 38a. Et post haec accessit ad eum vir de turba,

Matth. XVII, 14b. et genibus provolutus, dixit ei: Obsecro te,

Luc. IX, 38b. respice in filium meum, qui est unigenitus meus:

39a. insurgit enim inopinate spiritus in illum,

Matth. XVII, 14b. et fit lunaticus et male se habet,

Marc. IX, 17. et ubicumque eum ap-

prehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et contremiscit:

Matth. XVII, 14c. et saepe proiicit eum in aquam et in ignem, ut eum perdat,

Luc. IX. 39b. et vix discedit postquam dilaniaverit eum!

Matth. XVII, 15. et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.

16. Respondens Iesus dixit: O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? et quousque patiar vos? Affer filium tuum huc.

Marc. IX, 19. Et attulerunt eum ad illum. Et cum vidisset eum, statim spiritus collisit illum, et cadens in terram, aestuabat et spumabat.

20. Et interrogavit Iesus patrem eius: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? Ait illi: Ab infantia, et usque nunc:

21b. sed in quo potes, Domine, adiuva me, et miserere mei.

22. Ait illi Iesus: Si potes credere, omnia possibllia sunt credenti.

23. Et continuo plorans pater pueri exclamavit, dicens: Credo, Domine: adiuva defectum fidei meae.

24. Et cum videret Iesus concursum hominum, et eorum occursum ad vocem, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi: Exi ad eo, et amplius ne introeas in eum.

25. Et exclamans multum spiritus Satan, et discerpens eum exiit; et cecidit puer ille sicut mortuus: et multi putabant, ipsum esse mortuum.

26a. Iesus autem apprehendens illum manu, elevavit eum,

Luc. IX, 43b. et dedit illum patri eius;

Matth. XVII, 17b. et sanatus est puer ex illa hora.

Luc. IX, 44a. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei.

Marc. IX, 27. Et cum introisset Iesus in domum, accesserunt discipuli eius, et inter se et illum interrogantes eum, dixerunt illi: Quare nos non potuimus sanare eum?

Matth. XVII, 19. Dixit illis Iesus: Propter defectum fidei vestrae. Amen, dico vobis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit, et nihil obsistet vobis.

Marc. IX, 28. Hoc enim genus in nullo potest eiici, nisi in ieiunio et oratione.

29. Et inde egrediens, praetergrediebantur Galilaeam; nec volebat, ut aliquis de se sciret.

30a. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis:

Luc. IX, 44b. Servate vos in auribus et cordibus vestris sermones istos:

Marc. IX, 30b. etenim Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et cum occisus fuerit, tertia die resurget.

Luc. IX, 45. At illi ignorabant verbum, quod dicebat eis, quia erat velatum ante eos, ut non intelligerent illud; et timebant eum interrogare hac de re.

Matth. XVII, 22b. Et contristati sunt vehementer.

## CAPUT XXV.

Luc. IX, 46. In illa die se obtulit discipulis haec cogitatio, dicebant enim, quis eorum maior esset?

Marc. IX, 32. Et cum venissent Capharnaum, et introissent domum, ait illis Iesus: Quid in via inter vos cogitabatis?

33. At illi tacebant; siquidem de hoc cogitaverant.

Matth. XVII, 23b. Et egressus Simon foras, accesserunt, qui tributi didrachma accipiebant, ad Cepham, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma?

24. Ait illis: Etiam. Et cum Cephas intrasset domum, praevenit eum Iesus, dicens illi: Quid tibi videtur, Simon? Reges terrae a quibus accipiunt vectigal et tributum: a filiis suis, aut ab extraneis?

25. Dixit ei Simon: Ab extraneis. Dixit

illi Iesus: Ergo liberi sunt filii. Ait illi Simon: Utique. Dixit ei Iesus: Da illis et tu tanquam extraneus.

26. Ne autem in angustias deducantur, vade ad mare, et mitte hamum, et aperto ore piscis, qui primus ascenderit, invenies staterem: illum sume, et da pro me, et te.

XVIII, 1. In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, et dixerunt ei: Quis, putas, maior est in regno caelorum?

Luc. IX, 47a. Iesus autem sciens cogitationes cordis illorum,

Marc. IX, 35. vocavit puerum, et statuit eum in medio; et accipiens illum in ulnas suas, dixit eis:

Matth. XVIII, 3. Amen, dico vobis: Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum.

Luc. IX, 48a. Quicumque susceperit sicut puerum istum in nomine meo, me recipit,

Marc. IX, 36b. et qui me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.

Luc. IX, 48b. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

Matth. XVIII, 6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, melius ei esset, si suspenderetur mola asinaria in collo eius, et demergeretur in profundum maris.

Luc. IX, 49. Respondens Ioannes, dixit: Praeceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem daemonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum.

Marc. IX, 38. Ait illis Iesus: Nolite prohibere eum: nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me;

Luc. IX, 50b. omnis, qui non est adversum vos, vobiscum est.

Matth. XVIII, 7. Vae mundo a scandalis. Verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.

8. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et proiice abs te: melius enim tibi est ad vitam ingredi claudum vel mutilum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem usque in aeternum accensum,

Marc. IX, 43. ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur.

Matth. XVIII, 9a. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te:

Marc. IX, 46b. melius enim est tibi cum uno oculo intrare in regnum Dei, quam duos oculos habentem ruere in ignem gehennae,

47. ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguitur.

48. Omnis igne salietur, et omnis victima sale salietur.

49a. Optimum est sal:

Luc. XIV, 34b. si autem et sal evanuerit, in quo salietur?

35. Neque terrae, neque fimo utile est, sed foras proiicitur. Qui habet aures audiendi, audiat.

Marc. IX, 49b. Sit in vobis sal, et pax sit inter vos.

X, 1. Et inde exsurgens venit in fines Iudaeae ultra Iordanem; et venerunt ad eum ibi turbae multae, et sanavit eos; et sicut consueverat, iterum docebat illos.

2. Et accesserunt ad eum Pharisaei, tentantes et interrogantes illum: Licet ne viro uxorem suam dimittere?

3. Dixit: Quid vobis praecepit Moyses?

4. Dixerunt: Moyses permisit nobis, ut, si quis voluerit, scriberet libellum repudii, et dimitteret uxorem suam.

5a. Respondit Iesus, et dixit illis:

Matth. XIX, 4b. Non legistis hoc: Qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos?

5. et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt ambo corpus unum:

6. itaque iam non sunt duo, sed unum corpus. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

7. Dixerunt ei Pharisaei: Cur Moyses acquievit, ut daretur libellum repudii, et dimitteretur?

8. Ait illis Iesus: Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

9ª. Dico vobis: Quicumque dimiserit uxorem suam, sine fornicatione, et aliam duxerit, exponit eam adulterio.

Marc. X, 10. Et ingressus domum, iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, exponit eam adulterio.

12. Et si mulier dimiserit virum suum, et alteri nupserit, moechatur:

Matth. XIX, 9b. et qui dimissam duxerit, moechatur.

10. Dixerunt ei discipuli eius: Si inter virum et uxorem est talis culpatio, non expedit homini uxorem ducere.

11. Dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, nisi is, cui datum est.

12. Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsos eunuchos fecerunt propter regnum caelorum. Cui lubuerit, lubeat.

13ª. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manum eis imponeret, et oraret.

Marc. X, 13b. Discipuli autem comminabantur offerentibus.

14. Videns Iesus, aegre hoc tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos, talium enim est regnum Dei.

15. Amen, dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus iste, non intrabit in illud.

16. Et suscipiens eos in ulnas suas, et imponens manum super illos, benedixit eos.

## CAPUT XXVI.

Luc. XV, 1. Et accesserunt ad eum publicani et peccatores, ut audirent verbum eius.

2. Et murmurabant Scribae et Pharisaei, dicentes: Hic peccatores recipit, et manducat cum illis.

3. Iesus autem, cum vidisset murmurationem eorum, ait illis parabolam istam:

4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, non dimittat nonaginta novem in deserto, et vadat, et quaerat errantem, donec invenerit eam?

Matth. XVIII, 13b. Amen, dico vobis: Cum invenerit eam, gaudet super eam, magis quam super nonaginta novem, quae non erraverunt;

Luc. XV, 5b. et imponit eam in humeros suos,

6. et adducens domum convocat amicos et vicinos suos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam errantem.

Matth. XVIII, 14. Sic non vult Pater vester, qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis istis, quos, post culpam, vocat ad poenitentiam.

Luc. XV, 7. Dico vobis: Quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia.

8. Et quae mulier habens drachmas decem, et perdiderit unam ex illis, non accendit lucernam, et everrit domum, et quaerit eam diligenter, donec inveniat?

9. Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas suas, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam deperditam.

10. Dico vobis: Quod ita gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia.

11. Et iterum ait illis Iesus aliam parabolam: Homo quidam habuit duos filios,

12. et dixit ei adolescentior: Pater, da mihi portionem meam, quae me contingit, de substantia tua. Et divisit illis substantiam suam.

13. Et post paucos dies, congregatis omnibus ad se pertinentibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam vivendo prodige.

14. Et cum omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ad egestatem redactus,

15. abiit, et adhaesit uni civium regionis illius. Et ille misit eum in agrum, ut pasceret porcos.

16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, et nemo illi dabat.

17. In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii nunc in domo patris mei abundant pane: et ego hic fame pereo!

18. Surgam, et ibo ad domum patris mei, et dicam ei: Pater mi, peccavi in coelum et coram te:

19. iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misertus est eius, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum.

21. Dixitque ei filius: Pater mi, peccavi in caelum et coram te, et non sum dignus vocari filius tuus.

22. Dixit pater eius ad servos suos: Proferte stolam primam, et induite illum, et ponite annulum in manu eius, et calceamentis induite pedes eius,

23. et adducite vitulum saginatum, et occidite, ut manducemus, et delectemur,

24. etenim hic filius meus mortuus erat, et vivit: perierat, et inventus est. Et coeperunt epulari.

25. Erat autem filius eius maior in agro, et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit sonum cantus multorum;

26. Et vocavit unum de pueris, et interrogavit eum: Quid est hoc?

27. Dixit illi: Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia sanum illum reperiit.

28. Et indignatus est, et noluit introire. Pater autem illius egressus rogavit eum, ut ingrederetur.

29. At ille dixit patri suo: Tot annos servio tibi ut mancipium, et nunquam mandatum tuum praeterivi, et nunquam dedisti mihi hoedum, ut cum amicis meis epularer:

30. et postquam filius tuus hic, dissipata substantia tua cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. Dixit ei pater illius: Fili mi, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt:

32. gaudere autem, et epulari oportebat, cum frater tuus hic mortuus, iam vivat, et deperditus, inventus sit.

XVI, 1. Et dixit parabolam discipulis suis: Erat quidam dives, et habebat villicum, de quo denuntiatum est illi, quod dissipasset substantiam ipsius.

2. Vocavit ergo illum dominus eius, et ait illi: Quid est hoc, quod audio de te? redde mihi rationem villicationis tuae, iam enim non poteris esse villicus meus.

3. Ait ille villicus intra se: Quid faciam cum dominus meus aufert a me villicationem: fodere non valeo, et mendicare erubesco.

4. Ego scio, quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dixit primo: Quantum debes domino meo?

6. Dixit ei: Centum cados olei. Dixit illi: Accipe cautionem tuam, sede et cito scribe: Quinquaginta cados.

7. Et alteri dixit: Tu vero quantum debes domino meo? Dixit ei: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, sede et scribe: Octoginta coros.

8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia sapiens opus fecisset; filii enim huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

9. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de substantia iniquitatis huius, ut, cum defecerit, recipiant vos in aeterna tabernacula.

10. Qui fidelis est in pauco, et in multo fidelis est, et qui in pauco iniquus est, et in multo iniquus est.

11. Si ergo in iniqua pecunia fideles non fuistis: veram quis credet vobis?

12. Si ergo in eo, quod vestrum est, fideles non inventi fuistis, quod ad vos pertinet, quis dabit vobis?

## CAPUT XXVII.

Matth. XVIII, 23. Ideo assimilavi regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

24. Et cum coepisset ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

25. Cum autem non haberet, unde solveret, iussit eum dominus eius venundari, et uxorem eius et filios, et omnia, quae habebat, et reddi.

26. Procidens autem servus ille adorans, dixit ei: Patientiam habe in me, domine, et omnia solvam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum eius dimisit ei.

28. Egressus autem servus ille invenit unum de sociis suis, qui debebat ei centum denarios, et apprehendens divexabat eum, dicens ei: Da mihi, quod debes.

29. Et procidens socius ille ad pedes eius, rogavit eum, dicens: Patientiam habe in me, et satisfaciam tibi.

30. Ille autem noluit, sed abiit, et iniecit eum in carcerem, donec redderet debitum.

31. Videntes autem socii amborum, quae acciderant, aegerrime tulerunt, et venientes narraverunt domino suo omnia, quae facta fuerant.

32. Tunc vocavit illum dominus eius, et ait illi: Serve nequam; omne debitum illud dimisi tibi, quoniam rogasti me:

33. nonne ergo oportuit et te misereri socii tui, sicut ego tui misertus sum?

34. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque solveret omne, quod debebat.

35. Sic Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiserit homo fratri suo ex corde errata illius.

Luc. XVII, 3. Attendite vobis; si peccaverit frater tuus, increpa illum, et si poenitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Poenitet me; dimitte illi.

Matth. XVIII, 15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos; in ore enim duorum vel trium stat omne verbum.

17. Et si non audierit neque illos, dic ecclesiae: si autem et ecclesiam non audierit, sit tibi sicut publicanus et ethnicus.

18. Amen, quippe dico vobis: Quaecunque alligaveritis in terra, erunt ligata in caelo; et quod solveritis in terra, erit solutum in caelo.

19. Iterum dico vobis: Si duo ex vobis consenserint in terra, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est.

20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

21. Tunc accedens ad eum Cephas, dixit ei: Domine, quoties, si peccaverit in me frater meus, dimittam ei? usque septies?

22. Dixit illi Iesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies septies.

Luc. XII, 47. Servus enim, qui cognovit voluntatem domini sui, et non praeparavit ei secundum voluntatem eius, poena multa afficietur:

48. qui autem non cognovit, et fecit aliquid poena dignum, poena parva multabitur. Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo, et cui multum commendatum est, multum petietur e manu eius.

49. Ignem veni mittere in terram: et vellem ut iam accensus esset.

50. Baptismo autem habeo baptizari: et multum coarctor, usquedum perficiatur.

Matth. XVIII, 10. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, qui credunt in me: amen, dico vobis: Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.

11. Venit Filius hominis salvare, quod perierat.

Ioan. VII, 1. Post haec autem ambulabat Iesus in Galilaeam, non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere.

Luc. XIII, 1. Venerunt autem quidam nuntiantes ei de Galilaeis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

2. Respondit Iesus, et dixit illis: Putatis, quod hi Galilaei plusquam omnes Galilaei peccatores fuerint ita, ut hoc acciderit illis? Non.

3. Amen vero dico vobis: Nisi et vos omnes poenitentiam egeritis, similiter peribitis.

4. Aut decem et octo illos, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit, putatis reos fuisse plusquam omnes homines habitantes in Ierusalem? Non.

5. Amen, dico vobis: Nisi poenitentiam omnes egeritis, peribitis et vos sicut illi.

6. Et dixit eis hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quaerens fructum in illa, et non invenit.

7. Dixit autem ad agricolam: Ecce, tribus annis venio quaerens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide illam, ut quid terram defraudat?

8. Dixit ei agricola: Domine, dimitte illam et hoc anno, ut fodiam circa illam, et stercorem eam,

9. et siquidem fecerit fructum: sin autem, altero anno succidam illam.

10. Et cum doceret Iesus sabbato in quadam synagoga,

11. erat ibi mulier, quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo; et erat inclinata, nec omnino erigi poterat.

12. Et videns illam Iesus, vocavit eam et ait illi: O mulier, liberare ab infirmitate tua.

13. Et imposuit illi manum suam; et confestim erecta est, et glorificavit Deum.

14. Respondit archisynagogus, indignans, quia sabbato curasset Iesus, et dixit turbis: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati.

15. Respondens autem Iesus, ait illi: Hypocritae, unusquisque vestrum in die sabbati non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et vadit adaquare illum?

16. Hanc, quae est filia Abrahae, et quam alligavit maledictus a decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?

17. Et cum hoc diceret, erubescebant omnes adversarii eius adstantes; et omnis populus gaudebat in omnibus mirabilibus, quae fiebant per illum.

## CAPUT XXVIII.

Ioan. VII, 2. In illo tempore appropinquabat Tabernaculorum festum Iudaeorum.

3. Et dixerunt fratres Iesu ad illum: Transi hinc, et vade in Iudaeam, ut discipuli tui videant opera, quae facis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, et vult in palam esse: si haec facis, manifesta teipsum mundo.

5. Etenim ad hoc usque tempus neque fratres Iesu credebant in eum.

6. Dixit eis Iesus: Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.

8. Vos ascendite ad hoc festum, ego autem nunc non ascendo ad hoc festum, quia tempus meum nondum consummatum est.

9. Dixit hoc, et mansit in Galilaea.

10a. Ut autem ascenderunt fratres eius ad festum,

Matth. XIX, 1b. migravit a Galilaea, et venit in fines Iudaeae trans Iordanem,

2. et secutae sunt eum turbae multae, et sanavit eos omnes ibi.

Ioan. VII, 10b. Et egressus ivit ad festum non aperte, sed quasi occultus.

11. Iudaei autem quaerebant eum in festo, et dicebant: Ubi est ille?

12. Et murmur multum ibi factum est de eo in magna turba, quae venerat ad festum. Quidam enim dicebant: Bonus est.

Alii autem dicebant: Non, sed seducit populum.

13. Nemo tamen verbum manifestum loquebatur de illo propter metum Iudaeorum.

14. Iam autem diebus festi Tabernaculorum mediantibus, ascendit Iesus in templum, et docebat.

15. Et mirabantur Iudaei, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

16. Respondit Iesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.

17. Qui voluerit voluntatem eius facere, ipse cognoscet doctrinam meam, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.

18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit, qui autem quaerit gloriam eius, qui misit eum, verax est, et iniustitia non reperitur in corde illius.

19. Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis observat legem?

20. Cur me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit ei: Daemonium habes: quis te quaerit interficere?

21. Respondit Iesus, et dixit eis: Unum opus feci, et vos omnes propter hoc miramini.

22. Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, et vos in sabbato circumciditis hominem.

23. Et si homo circumciditur in die sabbati ita, ut non solvatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in die sabbati?

24. Nolite iudicare secundum speciem, sed iustum iudicium iudicate.

25. Dicebant autem quidam ex Ierosolymis: Nonne hic est, quem quaerunt interficere?

26. Et ecce ipse palam loquitur eis, et nihil ei dicunt. Putas ne, seniores nostros cognovisse, hunc vere esse Messiam?

27. Sed hic cognoscitur, unde sit: Messias autem cum venerit, nemo sciet, unde sit.

28. Elevans autem Iesus vocem suam, dum doceret in templo, dixit: Et me scitis, et unde sim, scitis, et a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29. Ego autem scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit.

30. Et quaerebant eum apprehendere; et nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius.

31. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Messias cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?

Luc. XII, 13. Ait autem Domino quidam de turba: Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum haereditatem.

14. Dixit illi Iesus: Homo, quis me constituit iudicem, et divisorem super vos?

15. Dixitque discipulis suis: Cavete ab omni malo, quia non in abundantia substantiarum est vita.

16. Et proposuit eis hanc similitudinem: Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit,

17. et cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo locum, ubi congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: destruam aedificia horreorum meorum, et reaedificabo, atque maiora faciam, illucque congregabo omne frumentum meum, et bona mea,

19. et dicam animae meae: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

20. Dixit illi Deus: O consilio destitute, hac nocte anima tua tolletur a te: quae autem parasti, cuius erunt?

21. Sic est, qui sibi thesauros recondit, et non est in Deum dives.

Marc. X, 17. Et cum ambulasset Iesus in via, accessit ad eum iuvenis ex principibus, et genu flexo ante eum, rogabat eum, dicens: Magister bone, quid faciam, ut habeam vitam aeternam?

18. Dixit ei Iesus: Cur me vocas bonum? Non est bonus, nisi unus Deus.

19[a]. Praecepta tu scis:

Matth. XIX, 17[b]. si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18[a]. Dixit illi adolescens: Quae mandata? Dixit ei Iesus:

Marc. X, 19[b]. Ne adulteres: ne fureris: ne occidas: ne falsum testimonium dixeris: ne fraudem feceris: honora patrem tuum et matrem tuam:

Matth. XIX, 19b. et dilige proximum tuum sicut teipsum.

20. Dixit illi adolescens: Omnia haec custodivi a pueritia mea: quid adhuc mihi deest?

Marc. X, 21a. Iesus autem, intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei:

Matth. XIX, 21b. Si vis perfectus esse, unum tibi deest, vade, vende omnia, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et tolle crucem tuam, et sequere me.

22a. Hoc verbo austerus factus est vultus adolescentis illius, et abiit tristis;

Luc. XVIII, 23b. quia dives erat valde.

24a. Videns autem Iesus tristitiam eius,

Marc. X, 23. aspexit ad discipulos suos, et ait illis: Quam difficile est his, qui pecunias habent, ut in regnum Dei ingrediantur!

## CAPUT XXIX.

Matth. XIX, 23b. Amen, dico vobis, difficile est diviti, ut ingrediatur in regnum caelorum.

24. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

Marc. X, 24. Discipuli autem obstupescebant in hisce verbis. At Iesus rursus respondens ait illis: Filioli mei, quam difficile est iis, qui confidunt in substantiis suis, in regnum Dei introire!

26. Et qui audiebant magis admirabantur, dicentes, iam timidi, inter semetipsos: Quis, putas, potest salvus fieri?

27. Et intuens illos Iesus, dixit eis: Apud homines possibile non est hoc, sed apud Deum: omnia Deus facere potest.

Luc. XVIII, 28. Ait illi Simon Cephas: Ecce, nos dimisimus omnia, et secuti sumus te:

Matth. XIX, 27b. quid ergo erit nobis?

28. Ait illis Iesus: Amen, dico vobis: Vos, qui secuti estis me, in novo mundo, cum sederit Filius hominis in sede gloriae suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, et iudicabitis duodecim tribus Israel.

Marc. X, 29b. Amen, dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domos, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem aut filios, aut consanguineos aut agros propter regnum Dei, aut propter me et propter Evangelium meum,

Luc. XVIII, 30. et non recipiat tot dupla in hoc tempore, et in saeculo venturo haereditet vitam aeternam:

Marc. X, 30b. nunc, in tempore hoc, domos, et fratres et sorores, et matres et filios, et agros cum persecutione, et in saeculo futuro vitam sempiternam.

31. Multi primi erunt novissimi, et novissimi primi.

Luc. XVI, 14. Cum autem Pharisaei audissent omnia haec, quia diligebant pecunias, deriserunt illum.

15. Sciens autem Iesus quid esset in cordibus eorum, dixit illis: Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus: Deus autem cognoscit corda vestra, quia, quod apud homines altum est, despectum est coram Deo.

19. Et coepit dicere: Homo quidam erat dives, et induebatur serico et purpura, et epulabatur quotidie splendide.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam divitis, ulceribus afflictus,

21. et cupiebat replere ventrem suum ex micis, quae cadebant de mensa divitis, ita ut canes venirent, et lingerent ulcera eius.

22. Accidit autem, ut moreretur mendicus, et Angeli portarent eum in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est.

23. Et cum torqueretur in inferno, elevavit oculos suos a longe, et vidit Abraham, et Lazarum in sinu eius,

24. et vocavit voce magna, et dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et humectet linguam meam; ego enim ecce uror in hac flamma.

25. Dixit ei Abraham: Fili mi, recordare, quia tu recepisti bona in vita tua, et Lazarus mala: nunc autem, ecce, ipse hic requiescit, tu vero cruciaris;

26. ad haec omnia adde, quod inter nos et vos abyssus magna posita est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde ad nos transmeare.

27. Dixit ei: Rogo ergo te, pater mi, ut mittas eum in domum patris mei:

28. habeo enim quinque fratres, vadat, ne et ipsi peccent, et veniant in hunc locum tormentorum.

29. Ait illi Abraham: Habent Moysen et Prophetas, audiant illos.

30. Dixit ei: Non, pater mi Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent.

31. Ait illi Abraham: Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Matth. XX, 1. Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno pro singulis, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, et videns alios stantes in foro otiosos,

4. dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod aequum est, dabo vobis.

5. Et illi abierunt. Iterum autem exiit hora sexta et nona, et fecit similiter,

6. et misit eos. Circa autem undecimam horam exiit, et inveniens alios stantes otiosos, dixit illis: Quid statis tota die otiosi?

7. Dixerunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dixit illis: Ite et vos in vineam, et quod aequum est, accipietis.

8. Cum sero autem factum esset, dixit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem suam: incipe enim a novissimis, et perge usque ad primos.

9. Et venerunt operarii undecimae horae, et acceperunt singuli denarium.

10. Cum venissent autem primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt vero et ipsi singuli denarium.

11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias,

12. dicentes: Hi novissimi una hora laboraverunt, et pares illos nobis fecisti, qui sustinuimus aestum diei et pondus eius.

13. Respondit uni eorum, et dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: nonne ex denario convenisti mecum?

14. Tolle, quod tuum est, et vade: ego autem huic novissimo volo dare sicut dedi tibi.

15. Aut de re mea non est mihi potestas, quod volo, facere? aut fortasse oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi sunt vocati, et pauci electi.

Luc. XIV, 1. Et cum intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum die sabbati manducare panem, ipsi observabant eum, ut viderent, quid esset facturus.

2. Et erat ante illum quidam hydropicus.

3. Respondit Iesus, et dixit ad legisperitos et Pharisaeos: Licet ne sabbato curare?

4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et dixit illis: Cuius vestrum filius aut bos die sabbati in puteum cadet, et non continuo extrahet illum, et potum illi praebet?

6. Et non poterant ad haec respondere illi verbum.

## CAPUT XXX.

7. Et proposuit illic invitatis parabolam, quia viderat, eos primos accubitos elegisse:

8. Cum quis te invitat ad convivium, non eas discumbere in primo loco consessus, ne forte honoratior te sit ibi,

9. et veniens ille, qui vos vocavit, dicat tibi: Da huic locum; et rubore afficieris coram adstantibus, et excipiet te locus alter.

10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe ultimus, ut, cum venerit qui te

invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius; et erit tibi gloria coram simul discumbentibus:

11. quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et omnis, qui se humiliat, exaltabitur.

12. Dixit et ei, qui ipsum invitaverat: Cum facis cenam aut prandium, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne forte te et ipsi invitent, et fiat tibi retributio.

13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et caecos,

14. et beatus eris, quia non habent, unde retribuant tibi, ut fiat retributio tua in resurrectione iustorum.

15. Haec cum audisset unus ex invitatis, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.

Matth. XXII, 1. Respondens iterum Iesus in parabolis, dixit:

2. Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo;

Luc. XIV, 16b. et paravit convivium magnum, et vocavit multos.

17. Et misit servos suos hora convivii significare invitatis: Quia omnia parata sunt vobis, venite:

Matth. XXII, 3b. et noluerunt venire.

Luc. XIV, 18. Sed coeperunt omnes uno ore se excusare. Primus ait illis: Dicite ei, villam emi, et compellor exire ad illam videndam: rogo te, dimitte me, excusatus sum enim.

19. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo observare illa: rogo te, ut dimittas me, excusatus sum enim.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo non possum venire.

Matth. XXII, 4. Iterum rex misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Prandium meum paratum est, tauri mei et vituli mei occisi sunt, et omnia parata: venite ad convivium.

5. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, et alius ad negotiationem suam;

6. reliqui vero tenuerunt servos eius, et contumeliis affectos occiderunt.

Luc. XIV, 21a. Et veniens unus servorum, nuntiavit domino suo id, quod acciderat.

Matth. XXII, 7. Rex autem, cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdiderunt homicidas illos, et civitates eorum succenderunt.

8. Tunc ait servis suis: Convivium paratum est, et qui invitati erant, non fuerunt digni:

Luc. XIV, 21b. egredimini cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac infirmos, et claudos et caecos introducite huc. Et fecerunt servi sicut rex praeceperat ipsis.

22. Et venerunt, et dixerunt ei: Domine, fecimus quaecumque imperasti, et adhuc spatium est hic.

23a. Et ait dominus servis suis: Egredimini in vias et semitas et ampliores vias,

Matth. XXII, 9b. et quoscumque inveneritis, vocate ad convivium,

Luc. XIV, 23b. et compellite intrare, ut impleatur domus mea.

24. Dico vobis: Quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit ex prandio meo.

Matth. XXII, 10. Et egressi servi in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, bonos et malos; et impleta est domus convivii discumbentibus.

11. Ingressus autem rex, ut videret discumbentes, vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et obmutuit.

13. Tunc dixit rex ministris: Ligate manus et pedes eius, et eiicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.

14. Multi sunt vocati, et pauci electi.

Ioan. V, 1. Post haec erat festum azymorum Iudaeorum;

Luc. XVII, 11. et egressus est Iesus, ut iret in Ierusalem.

12. Et cum iter faceret, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe,

13. et levaverunt vocem suam dicentes: Iesu praeceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit illis: Ite, et ostendite vos sacerdotibus. Et dum irent, mundati sunt.

15. Unus autem ex illis, ut vidit se mundatum, regressus est, et magna voce magnificabat Deum;

16. et cecidit in faciem suam ante pedes Iesu, gratias illi agens; et hic erat Samaritanus.

17. Respondit Iesus, et dixit: Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?

18. Neque unus eorum declinavit, ut veniret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Ait illi: Surge, vade, fides tua te salvum fecit.

Marc. X, 32. Et cum essent in via ascendentes Ierosolymam, praecedebat illos Iesus: et stupebant, et sequebantur eum timidi. Et assumens duodecim discipulos suos seorsum, coepit illis manifestare inter se et ipsos, quae essent ei eventura.

Luc. XVIII, 31b. Ait enim illis: Nos ascendimus Ierosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt in Prophetis de Filio hominis.

Marc. X, 33. Tradetur principibus Sacerdotum et Scribis, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus,

34a. et illudent ei, et flagellabunt eum, et conspuent in faciem eius,

Luc. XVIII, 33. humiliabunt eum, crucifigent et occident, et tertia die resurget.

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, sed erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant haec, quae dicebantur.

Matth. XX, 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei, ipsa et ambo filii eius, et adoravit eum ac petiit aliquid ab eo.

21a. Dixit ei: Quid vis?

Marc. X, 35. Et accesserunt ad eum Iacobus et Ioannes, filii illius, et dixerunt ei: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. Ait illis: Quid vultis, ut faciam vobis?

37. Dixerunt ei: Da nobis, ut unus a dexteris, et alius a sinistris tuis sedeat in regno et gloria tua.

38. Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo, quo ego baptizandus sum, baptizari?

39. Dixerunt ei: Possumus. Ait illis Iesus: Calicem, quem ego bibiturus sum, bibetis, et baptismo, quo ego baptizandus sum, baptizabimini:

40. ut sedeatis autem a dexteris et a sinistris meis, non est meum dare, sed quibus paravit Pater meus.

## CAPUT XXXI.

41. Et cum audissent decem, indignati sunt de Iacobo et Ioanne.

42. Iesus autem vocans eos ait illis: Vos scitis, quia praepositi gentium sunt domini eorum, et principes eorum dominantur eis.

43. Non ita erit in vobis, sed quicumque voluerit in vobis fieri maior, erit vester minister:

44. et qui voluerit ex vobis primus esse, erit omnium servus:

Matth. XX, 28. sicut et Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

Luc. XIII, 22. Dixit haec, et circuibat castella et civitates, docens et iter faciens in Ierusalem.

23. Et interrogavit eum quidam: Num pauci sunt, qui salvantur? Respondit Iesus, et ait illis:

24. Contendite intrare per angustam portam; dico enim vobis: Multi quaerunt intrare, et non inveniunt.

25. Ex hora, in qua surrexerit paterfamilias, et clauserit ostium, eritis foris stantes, et pulsabitis ostium, et incipietis dicere: Domine, aperi nobis; et respondens ipse, dicet: Dico vobis: nescio vos, unde sitis;

26. et incipietis dicere: Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.

27. Et dicet vobis: Nescio vos, unde sitis: Discedite a me, servi iniquitatis.

28. Ibi erit fletus et stridor dentium, cum videritis Abraham et Isaac et Iacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab oriente et occidente, et ab aquilone et austro, et accumbent in regno Dei.

30. Et tunc novissimi fient primi, et primi fient novissimi.

XIX, 1. Et cum ingressus esset Iesus, et perambularet Iericho,

2. vir quidam, nomine Zachaeus, dives et princeps publicanorum,

3. volebat videre Iesum, quis esset; et non poterat prae angustia turbae, quia Zachaeus statura pusillus erat.

4. Et festinans praevenit Iesum, et ascendit in arborem sycomorum, ut videret Iesum, quia sic erat transiturus.

5. Et cum venisset Iesus ad locum, vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee, festina, descende; hodie in domo tua oportet me esse.

6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens.

7. Et cum vidissent omnes, murmurabant dicentes: Ad hominem peccatorem ingressus est, et manet.

8. Stans autem Zachaeus dixit ad Iesum: Ecce, dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et quod plus a singulis accepi, reddo quadruplum.

9. Ait Iesus ad eum: Hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius sit Abrahae.

10. Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.

XVIII, 35[a]. Et cum exiret Iesus de Iericho, ipse et discipuli eius,

Matth. XX, 29[b]. et secuta esset eum turba multa,

Luc. XVIII, 35[b]. caecus quidam sedebat secus viam, mendicans,

Marc. X, 46. et nomen eius Timaei, filius Timaei.

Luc. XVIII, 36. Et audiens vocem turbae praetereuntis, interrogavit, quis esset.

37. Dixerunt ei: Iesus Nazarenus transit.

Marc. X, 47[a]. Et cum audisset, quia Iesus esset,

Luc. XVIII, 38. clamavit voce magna, dicens: Iesu, fili David, miserere mei.

39. Et qui praeibant Iesu, increpabant eum, ut taceret.

Marc. X, 48[b]. At ille magis clamabat, dicens: Fili David, miserere mei.

49. Et stans Iesus praecepit illum vocari. Et vocarunt caecum dicentes ei: Confortare, surge, ecce enim ipse vocat te.

50. Et caecus, proiecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum.

51. Dixit illi Iesus: Quid vis, ut tibi faciam? Caecus autem dixit ei: Domine mi, et praeceptor, ut aperias oculos meos, et videam te.

Matth. XX, 34[a]. Misertus autem eius Iesus, tetigit oculos eius, et dixit ei:

Luc. XVIII, 42[b]. Respice, fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, et secutus est eum, magnificans Deum. Et omnis plebs, quae vidit, dedit laudem Deo.

XIX, 11[b]. Et adhibuit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem, et quia existimarent, quod illo tempore regnum Dei manifestaretur.

12. Ait illis: Homo quidam nobilis prosapiae abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reverti.

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiamini usque ad adventum meum.

14. Cives autem eius oderant eum, et miserunt legatos post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.

15. Et cum rediret, accepto regno, iussit vocari ad se servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit.

17. Dixit illi rex: O serve bone, fidelis, qui in modico inventus es fidelis, esto potestatem habens super decem pagos.

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua lucrata est quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu eris potestatem habens super quinque pagos.

20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario:

21. timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti, exigis, quod non dedisti, et metis, quod non seminasti.

22. Dixit ei dominus eius: De ore tuo te iudico, serve nequam, negligens, fiducia destitute: sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, et metens, quod non seminavi:

23. cur non posuisti pecuniam meam ad mensam, ut veniens, cum usuris exegissem illam?

24. Et adstantibus dixit: Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet.

25. Dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

26. Ait illis: Dico vobis: Omni habenti dabitur: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

27. Verumtamen, inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite, et interficite ante me.

## CAPUT XXXII.

Matth. XXI, 12ª. Et cum Iesus introisset Ierusalem, ascendit in templum Dei;

Ioan. II, 14ª. et invenit ibi boves, oves et columbas.

Matth. XXI, 12ᵇ. Et videns vendentes et ementes,

Ioan. II, 14ᵇ. et numularios sedentes,

16. fecit sibi flagellum de funiculis, et eiecit omnes de templo, oves quoque et boves et numularios, quorum aes effudit, et subvertit mensas,

Matth. XXI, 12ᶜ. et cathedras vendentium columbas;

13. et docens, dicebat eis: Nonne scriptum est: Domus mea, domus orationis est cunctis gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Ioan. II, 16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

Marc. XI, 16. Et non sinebat, ut quisquam transferret vasa per templum.

Ioan. II, 17. Et recordati sunt discipuli eius scripturae: Zelus domus tuae comedit me.

18. Responderunt Iudaei, et dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, ut hoc facias?

19. Respondit Iesus, et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

20. Dixerunt ei Iudaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat eis de templo corporis sui: cum enim solverent illud, in tribus diebus excitaret.

22. Et cum resurrexit a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dixerat; et crediderunt scripturis et sermoni, quem dixit Iesus.

Marc. XII, 41. Et sedens Iesus contra gazophylacium intuebatur, quomodo turbae iactarent oblationes suas in gazophylacium; et multi divites iactabant multum.

42ª. Venit autem vidua pauper, et iecit duos obolos;

Luc. XXI, 3. et vocans Iesus discipulos suos, ait illis: Amen, dico vobis: Quia vidua haec pauper plus quam omnes iecit in gazophylacium.

Marc. XII, 44. Omnes enim isti ex superfluo substantiae suae iecerunt in arcam oblationis Dei: haec vero de penuria sua omnia, quae possidebat, misit.

Luc. XVIII, 9. Et proposuit eis hanc parabolam de quibusdam, qui in se confidebant esse iustos, et aspernabantur ceteros:

10. Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Pharisaeus, et alter publicanus.

11. Pharisaeus stans, ita apud se orabat: Domine, gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum, iniusti, adulteri, raptores, neque velut hic publicanus.

12. Sed ieiuno bis in hebdomade, et decimas do omnium substantiarum mearum.

13. Et publicanus, a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Domine, propitius esto mihi peccatori.

14. Dico vobis: Descendit hic iustificatus in domum suam, plus quam ille Pharisaeus. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et omnis, qui se humiliat, exaltabitur.

Marc. XI, 19ª. Et cum vespera facta esset,

Matth. XXI, 17. relictis omnibus, exiit extra civitatem in Bethaniam, ipse et duodecim; ibique mansit.

Luc. IX, 11. At omnes, cognoscentes locum, venerunt ad illum, et excepit eos; et illos, qui cura indigebant, sanabat.

Marc. XI, 12. Et postero mane, cum a Bethania rediret ad civitatem, esuriit.

13. Et vidit a longe secus viam ficum habentem folia, et venit ad illam, ut aliquid inveniret in ea, et cum venisset, non invenit in ea, nisi folia; non enim erat tempus ficorum.

14. Et dixit ei: Ex nunc et in aeternum nemo ex te manducabit fructum. Et audierunt discipuli eius.

15ª. Et venerunt Ierosolymam.

Ioan. III, 1. Erat autem ibi homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum.

2. Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei: Praeceptor, nos scimus, quia a Deo missus es magister, nemo enim potest haec signa facere, quae facis, nisi is, cum quo sit Deus.

3. Respondit Iesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi: Nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

4. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo potest nasci homo senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci?

5. Respondit Iesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi: Nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo.

8. Ventus, ubi vult, spirat, et vocem eius audis, sed nescis, unde veniat, et quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

9. Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri?

10. Respondit Iesus, et dixit ei: Tu es magister Israel, et haec ignoras?

11. Amen, amen dico tibi: Quia, quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur, et testimonium nostrum non accipitis.

12. Si terrena dixi vobis, et non creditis: quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis?

13. Et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo.

14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita futurum est, ut exaltetur Filius hominis,

15. ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

17. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

19. Hoc est iudicium; Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: quia mala erant eorum opera.

20. Omnis, qui turpitudines operatur,

odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius:

21. qui autem operatur veritatem, venit ad lucem, ut cognoscantur opera eius, quia in Deo sunt facta.

## CAPUT XXXIII.

Marc. XI, 19. Et cum vespera facta esset, egressus est Iesus extra civitatem, ipse et discipuli eius.

20. Et cum mane transirent, viderunt discipuli ficum illam aridam factam a radice.

Matth. XXI, 20b. Et transeuntes dixerunt: Quomodo ficus iam aruit?

Marc. XI, 21. Et recordatus Simon, dixit ei: Praeceptor, ecce, ficus illa, cui maledixisti, aruit.

22. Et respondens Iesus ait illis: Sit in vobis fides Dei:

23. Amen, dico vobis: Si credideritis, et non haesitaveritis in cordibus vestris, et pro certo habueritis, quia quodcumque dixeritis, fiat; fiet vobis quodcumque dixeritis.

Matth. XXI, 21b. Et si monti huic dixeritis: Tolle, et iacta te in mare, fiet.

22. Et omnia, quae petieritis a Deo in oratione credentes, dabit vobis.

Luc. XVII, 5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

6. Dixit eis: Si fuerit in vobis fides, sicut granum sinapis, dicetis huic fico: Eradicare, et transplantare in mare; et obediet vobis.

7. Quis vestrum, habens servum boves ducentem aut oves pascentem, cui venienti de agro dicat: Statim vade, recumbe?

8. Sed dicet ei: Para mihi, quod coenem, et praecinge lumbos tuos, et ministra mihi, donec manducem, et bibam; et postea manducabis etiam tu, et bibes.

9. Numquid gratias eius accipiet servus ille, qui fecit, quod ei imperaverat?

10. Non puto. Sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod oportebat nos facere, fecimus.

Marc. XI, 24. Propterea dico vobis: Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et fient vobis.

25. Et cum statis ad orandum, dimittite quod habetis in corde vestro adversus hominem, et Pater vester, qui in caelis est, dimittet et vobis errata vestra.

26. Et si non dimiseritis hominibus errata eorum, nec Pater vester dimittet et vobis errata vestra.

Luc. XVIII, 1. Proposuit autem et parabolam ad illos, ut semper orarent, et ne essent desidiosi:

2. Iudex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et homines non reverebatur.

3. Vidua autem quaedam erat in civitate illa, et venit ad eum, dicens: Vindica me ab adversario meo.

4. Et noluit per multum tempus. Postea dixit intra se: Si Deum non timeo, nec homines revereor,

5. tamen propter importunitatem istius viduae vindicabo illam, ut perpetuo non veniat, et taedium mihi afferat.

6. Et dixit Dominus noster: Audite, quid iudex iniquitatis dixit:

7. Deus autem non faciet magis vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et quoad illos longanimis erit?

8. Dico vobis: Cito faciet vindictam illorum. Cum venerit Filius hominis, putas, inveniet fidem super terram?

Marc. XI, 15a. Et venerunt iterum Ierosolymam.

Luc. XX, 1. Et factum est in una dierum, ambulante Iesu, et docente populum in templo ac evangelizante, adstiterunt ei principes Sacerdotum, et Scribae cum Senioribus,

2a. et dixerunt illi: Dic nobis, in qua potestate hoc facis?

Marc. XI, 28b. et quis dedit tibi hanc potestatem, ut hoc facias?

29a. Iesus autem ait illis:

Matth. XXI, 24b. Interrogabo vos et

ego unum verbum, et si dixeritis mihi, ego etiam vobis dicam, in qua potestate hoc facio.

25ª. Baptismus Ioannis unde erat? a caelo, an ex hominibus?

Marc. XI, 30ᵇ. Dicite mihi.

Matth. XXI, 25ᵇ. At illi cogitabant intra se, dicentes:

26. Si dixerimus ei: E caelo; dicet nobis: quare non credidistis illi? Si autem dixerimus: Ex hominibus;

Luc. XX, 6ᵇ. timemus, quod plebs universa nos lapidet:

Marc. XI, 32ᵇ. omnes enim tenebant, Ioannem esse verum prophetam.

33. Responderunt, et dixerunt ei: Nescimus. Ait illis Iesus: Neque ego dico vobis, in qua potestate (haec) faciam.

Matth. XXI, 28. Quid vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit ei: Fili mi, vade hodie, operare in vinea.

29. Respondens ait: Nolo. Tandem vero poenituit, et abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit ei similiter. Et respondens dixit: Utique, Domine; et non ivit.

31. Quis ex hisce duobus fecit voluntatem patris sui? Dixerunt ei: Primus. Ait illis Iesus: Amen, dico vobis: Publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei.

32. Venit ad vos Ioannes in via iustitiae, et non credidistis ei: publicani autem et meretrices crediderunt ei: vos autem, neque postquam vidistis, poenitentiam tandem egistis, ut crederetis ei.

33ª. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et turrim aedificavit in ea,

Luc. XX, 9ᵇ. et dedit eam agricolis, et peregre fuit multo tempore.

Matth. XXI, 34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut mitterent ei de fructibus vineae suae.

Marc. XII, 3. Hi autem agricolae ceciderunt eum, et dimiserunt eum vacuum.

4. Et iterum misit ad illos alium servum, et lapidaverunt ac vulneraverunt eum, et dimiserunt illum contumeliis affectum.

5ª. Et rursum alium misit, et illum occiderunt; et plures alios servos misit ad illos:

Matth. XXI, 35. agricolae autem, apprehensis servis eius, alium ceciderunt, alium lapidaverunt, et alium occiderunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

Luc. XX, 13. Dixit autem dominus vineae: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan enim videbunt eum, et verebuntur.

Marc. XIII, 6ª. Tandem misit ad eos filium suum, quem habebat, carissimum.

Matth. XXI, 38ª. Agricolae autem, videntes filium, dixerunt inter se: Hic est haeres;

Luc. XX, 14ᵇ. et dixerunt: Occidamus illum, et nostra erit haereditas.

Matth. XXI, 39. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, et occiderunt illum.

40. Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis?

41. Dixerunt ei: Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42ª. Dixit illis Iesus: Nunquam legistis in Scriptura: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes,

Luc. XX, 17ᵇ. hic factus est in caput anguli?

Matth. XXI, 42ᵇ. A Deo factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

43. Ideo dico vobis: Quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus.

44. Et qui ciderit super lapidem istum, confringetur: super quemcunque vero ipse ciderit, conteret eum.

45. Et cum audissent principes Sacerdotum et Pharisaei parabolas eius, cognoverunt, quod de ipsis diceret.

46. Et quaerentes eum apprehendere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

## CAPUT XXXIV.

XXII, 15. Tunc, abeuntes Pharisaei, consilium inierunt, quomodo caperent eum in sermone;

Luc. XX, 20b. et traderent potestati iudicii et potestati praesidis.

Matth. XXII, 16. Et miserunt ad eum discipulos suos cum Herodianis dicentes ei: Magister, nos scimus, quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non curas quemquam, quia tu non respicis hominem:

17. dic ergo nobis, quid tibi videtur: Licet censum dare Caesari, an non?

Marc. XII, 14b. dabimus, aut non dabimus?

15. Iesus autem, sciens versutiam eorum, ait illis:

Matth. XXII, 18b. quid me tentatis, hypocritae?

19. Ostendite mihi denarium census. Et obtulerunt ei denarium.

20. Ait illis Iesus: Cuius est imago haec et inscriptio?

21. Dixerunt ei: Caesaris. Ait illis: Reddite, quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo.

Luc. XX, 26. Et non efficere potuerunt, ut in sermone laberetur coram plebe, et mirati in verbo eius, se continuerunt.

Matth. XXII, 23. In illo die venerunt Sadducaei, et dixerunt ei: Mortuis non est vita; et interrogaverunt eum,

24. dicentes ei: Magister, Moyses nobis dixit, si quis mortuus fuerit non habens filios, frater eius ducat uxorem illius, et suscitet prolem fratris sui.

25a. Erant autem apud nos septem fratres,

Luc. XX, 29b. et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis.

30. Et alter accepit uxorem illius, et mortuus est sine filiis.

31. Et tertius quoque accepit illam; similiter et omnes septem, et mortui sunt, quin reliquissent filium.

Matth. XXII, 27. Novissime autem omnium et mulier defuncta est.

28. In resurrectione ergo cuius de istis septem erit haec mulier? omnes enim acceperunt eam.

29a. Respondit Iesus, et ait illis:

Marc. XII, 24b. Nonne ideo erratis, quia nescitis scripturas et virtutem Dei?

Luc. XX, 34b. Filii huius saeculi uxores ducunt, et mulieres traduntur viris:

35. illi vero, qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis, non ducent uxores, neque mulieres erunt viris,

36. neque ultra mori poterunt. Sed erunt sicut Angeli et filii Dei, cum effecti sint filii resurrectionis.

Matth. XXII, 30a. De resurrectione porro mortuorum,

Marc. XII, 26b. non legistis in libro Moysis, quomodo ex rubo dixerit illi Deus: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob?

Luc. XX, 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt apud eum.

Marc. XII, 27b. Vos ergo multum erratis.

Matth. XXII, 33. Et, audientes turbae, mirabantur de doctrina eius.

Luc. XX, 39. Respondentes autem quidam ex Scribis, dixerunt ei: Magister, bene dixisti.

Matth. XXII, 34. Omnes autem Pharisaei, cum vidissent, quod silentium hac ratione imposuisset Sadducaeis, convenerunt adversus eum, ut contenderent cum eo;

35a. et unus ex Scribis, legis doctor,

Marc. XII, 28a. cum vidisset proprietatem responsionis eius ad illos,

Luc. X, 25. voluit tentare eum, dicens: Quid faciam, ut haereditem vitam aeternam?

Marc. XII, 28b. et quodnam est maius ac primum mandatum in lege?

29. Dixit ei Iesus: Primum omnium mandatum est: Audi, Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est:

30a. et: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua,

Matth. XXII, 37b. ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.

38. Hoc est maximum et primum mandatum.

Marc. XII, 31. Secundum autem, quod simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Maius horum aliud mandatum non est.

Matth. XXII, 40. Ab his duobus mandatis lex pendet et Prophetae.

Marc. XII, 32. Ait illi Scriba: Optima sententia, Magister! in veritate dixisti, quia unus est (Deus), et non est alius praeter eum:

33. et ut quisque eum diligat ex toto corde, et ex tota mente, et ex tota anima, et ex tota virtute sua: et ut diligat proximum suum tamquam seipsum, maius est holocautomatibus et sacrificiis.

34a. Iesus autem videns, quod sapienter respondisset, respondit, et dixit illi: Non es longe a regno Dei.

Luc. X, 28. Verbum rectum dixisti: hoc fac, et vives.

29. Ille autem, volens iustificare seipsum, dixit ei: Et quis est meus proximus?

30. Dixit ei Iesus: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et irruerunt in eum latrones, qui despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

31. Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, et viso illo, praeterivit.

32. Similiter venit et Levita, et cum attingeret locum, et videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, ut venit ad locum, ubi erat ille, et vidit eum, misertus est eius.

34. Et, appropians, alligavit vulnera eius, infundens vinum et oleum, et imponens illum in asinum, duxit in stabulum, et curam eius egit.

35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait illi: Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximior fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. Dixit ei: Ille, qui misertus est eius. Ait illi Iesus: Vade, et tu fac similiter.

Marc. XII, 34b. Et nemo audebat eum dehinc interrogare.

Luc. XIX, 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum et Scribae et Seniores populi quaerebant illum perdere,

48. et non poterant quidquam facere illi. Omnis enim populus suspensus erat ad audiendum illum.

Ioan. VII, 31. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Messias cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?

32. Et audierunt Pharisaei turbas dicentes de illo haec; et miserunt principes Sacerdotum milites, ut apprehenderent eum.

33. Et ait illis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vadam ad eum, qui me misit.

34. Et quaeretis me, et non invenietis: et ubi ego sum, vos non potestis venire.

35. Dixerunt Iudaei in semetipsis: Quo hic iturus est, ut nos non poterimus ire? Putas, ipsum in regiones gentium iturum esse, et docturum ethnicos?

36. Quid est hoc verbum, quod dixit: Vos quaeretis me, et non invenietis: et ubi sum ego, vos non potestis venire?

## CAPUT XXXV.

37. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus, clamans et dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.

38. Omnis, qui credit in me, sicut dicunt Scripturae, flumina de ventre eius fluent aquae suavis.

39. Hoc dixit, innuens ad spiritum, quem accepturi erant credentes in eum, nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

40. Et ex turba multi, qui audierunt sermones eius, dixerunt: Hic est vere Propheta.

41. Et alii dicebant: Hic est Messias. Alii autem dicebant: Numquid a Galilaea veniet Messias?

42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex progenie David, et de Bethlehem, castello David, veniet Messias?

43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum.

44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, et nemo misit super eum manum.

45. Et venerunt milites ad principes Sacerdotum et Pharisaeos; et dixerunt illis Sacerdotes: Quare non adduxistis eum?

46. Dixerunt milites: Numquam sic locutus est homo, sicut loquitur hic homo.

47. Dixerunt eis Pharisaei: Numquid et vos seducti estis?

48. Numquid ex principibus aliquis, aut ex Pharisaeis, credidit in eum?

49. praeter hanc turbam, quae ignorat legem, qui maledicti sunt?

50. Dixit eis Nicodemus, unus ex ipsis, qui venit ad Iesum nocte:

51. Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit, quid faciat?

52. Responderunt, et dixerunt ei: Numquid et tu ex Galilaea? Scrutare, et vide, quia a Galilaea propheta non surgit.

Matth. XXII, 41. Congregatis autem Pharisaeis, interrogavit eos Iesus,

42. dicens: Quid dicitis de Messia? cuius filius est? Dixerunt ei: filius David.

43. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu sancto vocat eum Dominum? Ait enim:

44. Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, ut ponam inimicos tuos sub pedibus tuis.

45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?

46. Et nemo potuit ei respondere; neque ausus fuit quisquam ex illa die eum de re aliqua interrogare.

Ioan. VIII, 12. Et iterum Iesus locutus est eis, dicens: Ego sum lux mundi: qui ergo sequitur me, non ambulat in tenebris, sed inveniet lumen vitae.

13. Dixerunt ei Pharisaei: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est authenticum.

14. Respondit Iesus, et dixit eis: Si ego testimonium perhibeo de meipso, authenticum est testimonium meum, quia scio, unde veni, et quo vado: vos autem nescitis, unde veni, neque quo vado.

15. Vos enim iudicium materiale iudicatis: ego autem non iudico quemquam:

16. et si iudico, iudicium meum authenticum est, quia solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater meus.

17. Et in lege vestra scriptum est: Quia duorum hominum testimonium authenticum est.

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater meus.

19. Dixerunt ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Iesus, et ait illis: Me non cognoscitis, neque Patrem meum: etenim si me sciretis, Patrem meum sciretis.

20. Haec verba locutus est in gazophylacio, dum doceret in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

21. Dixit iterum eis Iesus: Ego profecto vado, et quaeretis me, et non me invenietis, et in peccatis vestris moriemini. Et quo ego vado, vos non potestis venire.

22. Dixerunt Iudaei: Numquid interficiet semetipsum, ut dicat: Quo ego vado, vos non potestis venire?

23. Ait illis: Vos de deorsum estis: ego vero de sursum sum. Vos de mundo hoc estis: ego autem non sum de hoc mundo.

24. Dixi vobis: Quia moriemini in peccatis vestris: si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.

25. Dixerunt Iudaei: Et tu quis es? Dixit eis Iesus: Incepi loqui vobis,

26. et multa habeo de vobis loqui, et iudicare, sed qui me misit, verax est: et ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.

27. Et non intellexerunt, quod in hoc significaret Patrem.

28. Dixit iterum eis Iesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis,

quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, ita loquor:

29. et qui me misit, mecum est, Pater enim meus non reliquit me solum, quia ego, quae placita sunt ei, facio semper.

30. Haec illo loquente, multi crediderunt in eum.

31. Et dixit Iesus ad Iudaeos illos, qui crediderunt in eum: Si permanseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis,

32. et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

33. Dixerunt ei: Progenies Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam tanquam mancipia: quomodo ergo dicis: filii liberi eritis?

34. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Omnis, qui facit peccatum, servus est peccati:

35. servus autem non manet in domo in aeternum: filius vero manet in aeternum:

36. si ergo vos Filius liberaverit, vere filii liberi eritis.

37. Ego scio, quia progenies Abrahae estis, sed quaeritis me interficere, quia impares estis verbo meo.

38. Ego enim, quod vidi apud Patrem meum, loquor, et vos, quod vidistis apud patrem vestrum, facitis.

39. Responderunt, et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dixit ei Iesus: Si filii Abrahae essetis, opera Abrahae faceretis.

40. Nunc, ecce, quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem vobiscum locutus est, quam audivi a Deo: hoc Abraham non fecit.

41. Vos autem facitis opera patris vestri. Dixerunt ei: Nos ex fornicatione non sumus: unum patrem habemus, qui est Deus.

42. Dixit eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego ex Deo processi, et descendi, neque a meipso veni, sed ille me misit.

43. Quare enim verbum meum non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.

44. Vos ex patre diabolo estis, et desiderium patris vestri vultis facere, qui homicida est ab initio, et in veritate non manet, quia non est veritas in eo: et cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater mendacii.

45. Et ego, qui in veritate loquor, non creditis mihi.

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Et si veritatem dico, vos non creditis mihi.

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Responderunt Iudaei, et dixerunt ei: Nonne bene diximus, quia Samaritanus es, et daemonium habes?

49. Ait illis Iesus: Ego profecto daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.

50. Ego non quaero gloriam meam: est hic qui quaerat, et iudicet.

## CAPUT XXXVI.

51. Amen, amen dico vobis: Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

52. Dixerunt ei Iudaei: Nunc cognovimus, quia daemonium habes. Abraham mortuus est et Prophetae, et tu dicis: Qui sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum?

53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et Prophetis, qui mortui sunt? Quem te ipsum facis?

54. Ait illis Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, de quo vos dicitis: Deus noster est;

55. et non cognoscitis eum: ego autem cognosco eum; et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo.

56. Abraham pater vester ardenti studio concupivit, ut videret diem meum: et vidit, et gavisus est.

57. Dixerunt ad eum Iudaei: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

58. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Antequam Abraham fieret, ego sum.

59. Et tulerunt lapides, ut lapidarent eum; Iesus autem abscondit se, et exivit de templo,

60. et transiens in medio eorum, abiit.

IX, 1. Et cum praeteriret vidit hominem caecum de ventre matris suae;

2. et interrogaverunt eum discipuli eius: Magister, quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?

3. Ait illis Iesus: Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.

4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: veniet nox, et non poterit homo ad voluntatem operari.

5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Haec cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit super oculos caeci illius,

7. et dixit ei: Vade, lava in lavacro Siloe. Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

8. Vicini autem eius, qui prius viderant eum mendicari, dicebant: Nonne hic est, qui, sedens, mendicabat? Alii dicebant: Ipse est.

9. Alii autem dicebant: Nequaquam, sed admodum similis est ei. Dixit ille: Quia ego sum.

10. Dixerunt ei: Quomodo ergo aperti sunt oculi tui?

11. Respondit, et ait illis: Homo, cuius nomen Iesus, lutum fecit, et linivit super oculos meos, et dixit mihi: Vade, et lava in aqua Siloe. Et abii, lavi, et vidi.

12. Dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.

13. Et adduxerunt ad Pharisaeos illum, qui antea caecus fuerat.

14. Dies autem, in quo lutum fecit Iesus, et aperuit oculos eius, erat dies sabbati.

15. Et iterum interrogaverunt eum Pharisaei: Quomodo vidisti? Dixit eis: Lutum posuit super oculos meos, et lavi, et vidi.

16. Dixerunt ex Pharisaeis quidam: Non est hic homo a Deo, quia sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Et schisma factum est inter eos.

17. Et iterum dixerunt caeco: Tu quid dicis de illo, qui aperuit tibi oculos? Dixit eis: Dico, quia Propheta est.

18. Et non crediderunt Iudaei de illo, quia caecus fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes eius, qui viderat;

19. et interrogaverunt eos: Si hic est filius vester, quem vos dicitis, quia caecus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt parentes eius, et dixerunt: Nos scimus, quia hic est filius noster, et quia caecus natus est:

21. quomodo autem nunc videat, aut quis eius aperuit oculos, nescimus: ipsum interrogate, ad virilem aetatem iam pervenit, et ipse de se loquatur.

22. Haec dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudaeos; decreverant enim Iudaei, ut, si quis eum confiteretur esse Messiam, a synagoga expelleretur.

23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ad virilem aetatem pervenit, ipsum interrogate.

24. Et rursum vocaverunt eum, qui fuerat caecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est.

25. Respondit, et ait illis: Si peccator est, nescio: unum scio, quia, caecus cum essem, modo video.

26. Iterum dixerunt ei: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

27. Ait illis: Dixi vobis, et non audistis: quid iterum vultis audire? vos etiam vultis discipuli eius fieri?

28. Despexerunt autem eum, et dixerunt ei: Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus:

29. Scimus enim, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus, unde sit.

30. Respondit ille homo, et dixit eis: Ideo enim mirabile est, quia vos nescitis, unde sit, et aperuit oculos meos:

31. et nos scimus, quia peccatorum vocem Deus non audit, sed, qui timèt eum, et voluntatem eius facit, hunc exaudit.

32. Ab aeterno non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci, nati in caecitate.

33. Nisi itaque esset hic a Deo, non poterat hoc facere.

34. Responderunt, et dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

35. Et audivit Iesus eiectionem eius foras, et inveniens eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36. Respondit ille, qui sanus factus fuerat, et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum?

37. Dixit ei Iesus: Vidisti eum, et qui loquitur tibi, ipse est.

38. Ait: Ego credo, Domine. Et procidit, adorans eum.

## CAPUT XXXVII.

39. Et dixit Iesus: Ad iudicandum mundum veni, ut, qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant.

40. Et audierunt hoc quidam ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei: Numquid nos caeci sumus?

41. Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, profecto non haberetis peccatum: nunc vero dicitis: Nos videmus; et propter hoc peccatum vestrum manet.

X, 1. Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.

2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.

3. Et huic ostiarius aperit ostium, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et exeunt ad illum.

4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves eius illum sequuntur, quia cognoscunt vocem eius.

5. Alienum autem oves non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non audiunt vocem alieni.

6. Hoc proverbium dixit eis Iesus. Illi autem non intellexerunt, quid loqueretur eis.

7. Dixit eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis: Ego sum ostium ovium.

8. Omnes enim, quotquot venerunt, fures sunt et latrones; sed e contra non audierunt eos oves.

9. Ego sum ostium: et si quis per me introierit, vivet, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.

10. Fur autem non venit, nisi, ut furetur, et mactet, et perdat. Ego profecto veni, ut vitam habeant, et, quod praestantius est, habeant.

11. Ego sum pastor bonus. Bonus autem pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius vero, qui non est pastor, et cuius non sunt oves, cum viderit lupum venientem, dimittit oves, et fugit, et lupus venit, rapit, et dispergit oves.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non est ei cura de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meae.

15. Sicut cognoscit me Pater meus, et ego agnosco Patrem meum, et animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias quoque oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me vocare, et vocem meam audient, et fiet unus grex et unus pastor.

17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.

18. Nemo tollet eam a me, sed ego pono eam sponte, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo.

19. Et dissensio facta est inter Iudaeos propter sermones istos.

20. Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet, et comitiali morbo laborat: quid coram eo siletis?

21. Et alii dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentium: Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?

22. Advenit autem festum dedicationis in Ierosolymis; et hiems erat.

23. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.

24. Et circumdederunt eum Iudaei, et dixerunt ei: Quousque corda nostra anges? si tu es Messias, dic nobis palam.

25. Respondit, et ait illis: Dixi vobis, et non creditis: opera enim, quae facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me:

26. sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

27. Sicut ego dixi vobis: Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et ipsae sequuntur me:

28. et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisque de manu mea.

29. Pater enim, qui dedit mihi, maior omnibus est, et nemo tollere potest de manu Patris mei.

30. Ego et Pater meus unum sumus.

31. Et sustulerunt lapides Iudaei, ut lapidarent eum.

32. Ait illis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33. Dixerunt Iudaei ad illum: Non propter bona opera lapidamus te, sed quia blasphemas, et, homo cum sis, facis teipsum Deum.

34. Dixit eis Iesus: Nonne ita scriptum est in lege vestra: Quia ego dixi, dii estis?

35. Et si illos dixit deos, quia ad eos sermo Dei factus est, et non potest aliquid solvi in scriptura:

36. quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemat, quia dixi vobis: Filius Dei sum?

37. Si enim non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. Si autem facio, et si mihi non creditis, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater meus in me est, et ego in Patre meo.

39. Et quaesiverunt iterum eum apprehendere; et exivit de manibus eorum.

40. Et abiit trans Iordanem in locum, ubi erat Ioannes baptizans primum, et mansit illic;

41. et multi homines venerunt ad eum, et dicebant: Ioannes neque unum fecit signum.

42. Omnia autem, quaecunque dixit Ioannes de hoc viro, vera sunt. Et multi crediderunt in eum.

XI, 1. Erat autem quidam infirmus, nomine Lazarus, de castello Bethaniae, frater Mariae et Martae.

2. Maria autem est illa, quae unxit unguento pedes Iesu, et capillis suis extersit, cuius frater erat Lazarus infirmus.

3. Miserunt ergo sorores eius ad Iesum, dicentes: Domine, ecce, quem amas, infirmatur.

4. Dixit autem Iesus: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Iesus Martham, Mariam et Lazarum.

6. Ut ergo audivit, quia infirmabatur, mansit in loco, ubi erat, duobus diebus.

7. Post haec autem dixit discipulis suis: Venite, eamus in Iudaeam.

8. Dixerunt ei discipuli eius: Magister, nunc volebant te Iudaei lapidare, et tu iterum vadis illuc?

9. Dixit eis Iesus: Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia mundi lucem videt;

10. si quis autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lampas non est cum eo.

11. Haec ait Iesus, et postea dixit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum.

12. Dixerunt ei discipuli eius: Domine, si dormit, consanescet.

13. Dixerat hoc Iesus de morte eius; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est:

15. et gaudeo, quoniam non eram ibi, propter vos, ut credatis, sed eamus illuc.

16. Dixit Thauma, qui dicitur Thoma, ad condiscipulos: Eamus et nos, ut moriamur cum eo.

## CAPUT XXXVIII.

17. Venit itaque Iesus in Bethaniam, et invenit eum quatuor dies in monumento habentem.

18. Erat autem Bethania iuxta Ierusalem, ab eaque distabat stadiis quindecim.

19. Multi autem ex Iudaeis venerant ad Mariam et Martham, ut consolarentur cor earum de fratre suo.

20. Martha ergo, ut audivit, quia Iesus venit, egressa est in occursum eius. Maria autem domi sedebat.

21. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus:

22. sed nunc scio, quia quaecunque poposceris a Deo, dabit tibi.

23. Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus.

24. Dixit ei Martha: Ego scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet;

26. et omnis vivens, credens in me, non morietur in aeternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique, Domine, ego credo, quia tu es Messias filius Dei, qui in mundum venisti.

28. Et cum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam secreto, dixitque illi: Magister venit, et vocat te.

29. Maria autem, ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum;

30. nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat illo in loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Iudaei etiam, qui erant cum ea in domo, ut consolarentur illam, cum vidissent Mariam cito surgentem, et egredientem, secuti sunt eam, putantes, ipsam ituram ad monumentum, ut ploraret.

32. Maria ergo, cum venisset, ubi erat Iesus, et vidisset eum, cecidit ad pedes eius, et dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Et venit Iesus, et ut vidit eam plorantem, et Iudaeos, qui erant cum ea, plorantes, continuit semetipsum, et suspiravit,

34. et dixit: Ubi posuistis eum? Dixerunt ei: Domine, veni, et vide.

35. Et effusae sunt lacrymae Iesu.

36. Dixerunt ergo Iudaei: Videte quantum amabat eum.

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos illius caeci, facere, ut et hic non moreretur?

38. Iesus ergo continens semetipsum, venit ad monumentum; monumentum autem erat spelunca, et lapis positus erat ad ostium illius.

39. Ait Iesus: Tollite hunc lapidem. Dixit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine, iam foetet, quatriduanus est enim.

40. Dixit ei Iesus: Nonne dixi tibi: Si credis, videbis gloriam Dei?

41. Removerunt ergo lapidem illum; et Iesus, elevatis sursum oculis, dixit: Pater mi, gratias ago tibi, quoniam audisti me.

42. Ego quidem scio, quia semper me audis, sed propter hanc turbam, quae adstat, hoc tibi dixi, ut credant, quia tu me misisti.

43. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare, veni foras.

44. Et prodiit ille mortuus, ligatus pedes et manus institis, et facies illius sudario erat involuta. Dixit ei Iesus: Solvite eum, et sinite abire.

45. Multi autem ex Iudaeis, qui venerant ad Mariam, ut viderunt factum a Iesu, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaeos, et narraverunt eis omnia, quae fecit Iesus.

47. Et congregati sunt principes Sacerdotum et Pharisaei, et dixerunt: Quid facimus, quia hic homo, ecce, multa signa facit?

48. Si enim dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent regionem nostram et gentem.

49. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, qui erat Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50. neque cogitatis, quia expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semetipso non dixit; sed, cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro populo;

52. et non tantum pro populo, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret simul.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum.

54. Iesus itaque non palam ambulabat inter Iudaeos, sed abiit inde in regionem iuxta desertum, in cellulam, quae dicitur Ephraem; et ibi frequenter ibat cum discipulis suis.

55. Proximum autem erat pascha Iudaeorum; et ascenderunt multi Ierosolymam de castellis ante festum, ut purificarent se ipsos.

56. Et quaerebant Iesum, et colloquebantur ad invicem in templo: Quid putatis de tarditate eius ad festum? Praeceperant autem principes Sacerdotum et Pharisaei, ut, si quis cognoverit, ubi esset, revelaret eis, ut apprehenderent illum.

Luc. IX, 51. Et dum completi essent dies ascensionis eius, paravit semetipsum, ut iret in Ierusalem.

52. Et misit nuntios ante se; et euntes intraverunt in pagum Samariae, ut pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia ipse paratus erat ire in Ierusalem.

54. Et cum vidissent discipuli eius Iacobus et Ioannes, dixerunt ei: Domine, vis, dicimus, ut ignis descendat de caelo, et exterminet eos, sicut et Elias fecit?

55. Et conversus Iesus increpavit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis.

56. Profecto Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.

## CAPUT XXXIX.

Ioan. XII, 1. Iesus ergo ante sex dies paschae venit Bethaniam, ubi erat Lazarus, quem Iesus suscitavit a mortuis.

2. Factum est autem ei prandium ibi, et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

Marc. XIV, 3a. Et cum esset Iesus Bethaniae in domo Simonis leprosi,

Ioan. XII, 9. audivit turba multa ex Iudaeis, quia Iesus esset ibi, et venerunt, non propter Iesum tantum, sed ut et Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

10. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum, ut et Lazarum interficerent,

11. quia multi ex Iudaeis propter illum abibant, et credebant in Iesum.

3a. Maria autem accepit libram unguenti nardi optimi, pretiosi,

Marc XIV, 3b. et aperuit, et effudit super caput Iesu discumbentis;

Ioan. XII, 3b. et unxit pedes eius, et extersit eos capillis suis; et domus impleta est ex odore unguenti.

4. Dixit autem unus ex discipulis, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus:

5. quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datur pauperibus?

6. Dixit hoc, non propter eius curam erga pauperes, sed quia fur erat, et loculum habens, ea, quae mittebantur in eo, ipse portabat.

Marc. XIV, 4. Reliqui etiam discipuli aegre hoc tulerunt in semetipsis, et dixerunt: Utquid perditur hoc unguentum?

Matth. XXVI, 9. poterat enim venundari multo, et dari pauperibus,

Marc. XIV, 5b. et fremebant in Mariam.

Matth. XXVI, 10a. Sciens autem Iesus, ait illis:

Marc. XIV, 6b. Sinite eam: Quid illi molesti estis? Bonum opus perfecit in me:

Ioan. XII, 7b. ad diem sepulturae meae servavit illud.

8ª. Pauperes enim semper vobiscum sunt,

Marc. XIV, 7ᵇ. et cum volueritis, potestis illis benefacere: ego autem non semper vobiscum sum.

Matth. XXVI, 12. Propterea, mittens unguentum hoc in corpus meum, quasi ad sepeliendum me fecit;

Marc. XIV, 8ᵇ. et praevenit ungere corpus meum.

9. Amen, dico vobis: Ubicunque praedicatum fuerit hoc Evangelium meum in universo mundo, quod fecit haec narrabitur in memoriam eius.

Luc. XIX, 28. Et his dictis, prodiit Iesus lento gradu, ut pergeret in Ierusalem.

29ª. Et cum pervenisset ad Bethphage et Bethaniam iuxta montem, qui vocatur mons olivarum,

Matth. XXI, 1ᵇ. misit Iesus duos ex discipulis suis,

2ª. dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est,

Marc. XI, 2. et cum ingressi fueritis in illud,

Matth. XXI, 2ᵇ. invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea,

Luc. XIX, 30ᵇ. cui nemo unquam hominum insedit:

Matth. 2ᶜ. solvite, et adducite mihi.

Luc. XIX, 31ª. Et si quis vobis dixerit: Cur eos solvitis?

Matth. XXI, 3ᵇ. sic dicite illi: Quaerimus eos pro Domino; et confestim dimittet eos huc.

4. Hoc totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem:

5. Dicite filiae Sion: Ecce, rex tuus venit tibi mansuetus, et insidens asinae et pullo filio asinae.

Ioan. XII, 16. Haec non cognoverunt illo in tempore discipuli eius; sed postquam glorificatus est Iesus, recordati sunt eius discipuli, quia haec erant scripta de eo, et haec fecerunt ei.

Matth. XXI, 6ª. Euntes autem discipuli,

Luc. XIX, 32ᵇ. invenerunt, sicut dixit illis;

Matth. XXI, 6ᵇ. et fecerunt, quemadmodum mandavit eis Iesus.

Luc. XIX, 33. Et cum solverent eos, dixerunt eorum domini ad illos: Quid solvitis eos?

34ª. Dixerunt eis: Quaerimus eos pro Domino nostro;

Marc. XI, 6ᵇ. et dimiserunt illos.

Matth. XXI, 7. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super pullum vestimenta sua, et desuper sedit Iesus.

8. Plurima autem turba sternebat ante ipsum vestimenta sua in terra; alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via.

Luc. XIX, 37. Et cum appropinquaret ad descensum montis olivarum, coeperunt omnes discipuli gaudere et laudare Deum voce magna super omnes, quas viderant, virtutes, dicentes:

Matth. XXI, 9ᵇ. Gloria in excelsis: gloria Filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini:

Marc. XI, 10ᵇ. et benedictum, quod venit, regnum patris nostri David:

Luc. XIX, 38ᵇ. pax in caelo et gloria in excelsis.

Ioan. XII, 12. Et turba multa, quae venerat ad festum, cum audissent, quia venit Iesus Ierosolymam,

13. acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant dicentes: Laus, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.

Luc. XIX, 39. Quidam autem Pharisaeorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.

40. Ait illis: Amen, dico vobis: Si hi tacuerint, lapides clamarent.

41. Et cum accederet, et vidisset civitatem, flevit super illam, dicens:

42. Utinam tu cognovisses quae sunt ad pacem tuam in hac die tua, nunc abscondita ab oculis tuis!

43. Venient tibi dies, in quibus circumdabunt te inimici tui, et coangustabunt te undique,

44. et potientur tui et filiorum tuorum, qui in te sunt, et non relinquent in te la-

pidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.

Matth. XXI, 10. Et cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?

11. Turbae autem dicebant: Hic est Iesus, Propheta a Nazareth Galilaeae.

Ioan. XII, 17. Et testimonium perhibebat turba, quae erat cum eo, quod ipse Lazarum vocasset de monumento, et suscitasset illum a mortuis.

18. Propterea obviam exierunt ei turbae multae, quia audierunt signum, quod fecerat.

## CAPUT XL.

Matth. XXI, 14. Et cum Iesus ingressus esset in templum, obtulerunt ei caecos et claudos, et sanavit eos.

15. Videntes autem principes Sacerdotum et Pharisaei mirabilia, quae fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Laus filio David; aegre tulerunt,

16. et dixerunt: Audis, quid isti dicunt? Dixit illis Iesus: Utique; nunquam legistis: Quia ex ore puerorum et infantium selegisti laudem meam?

Ioan. XII, 19. Pharisaei ergo dixerunt ad invicem: Nonne, ecce, videtis, quia nihil nobis prodest? ecce enim mundus totus sequitur eum.

20. Erant autem et inter eos quidam gentiles, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.

21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogaverunt eum, dicentes ei: Domine, volumus Iesum videre.

22. Venit Philippus, et dixit Andreae; Andreas autem et Philippus dixerunt Iesu.

23. Iesus autem respondit, et dixit eis: Proxima est hora, qua glorificetur Filius hominis:

24. Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti ceciderit, et mortuum fuerit in terra,

25. ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Et qui mihi ministraverit, honorificabit eum Pater.

27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater mi, salva me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

28. Pater mi, clarifica nomen tuum. Et audita est vox de caelo: Clarificavi, et omnino clarificabo.

29. Turba ergo, quae stabat, audivit, et dixit: Hic est tonitrus. Alii dicebant: Angelus ei loquitur.

30. Respondit Iesus, et dixit eis: Non propter me haec vox facta est, sed propter vos.

31. Nunc iudicium est mundi huius; et princeps huius mundi modo eiicietur foras.

32. Et ego, cum exaltatus fuero a terra, omnes homines traham ad meipsum.

33. Hoc dixit, ut significaret, qua morte esset moriturus.

34. Dixerunt ei turbae: Nos audivimus a lege, quia Messias manet in aeternum: quomodo ergo tu dicis, futurum esse, ut Filius hominis exaltetur? Quis est iste Filius hominis?

35. Dixit eis Iesus: Adhuc modicum temporis lumen vobiscum erit. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant: qui enim ambulat in tenebris, nescit, quo vadat.

36a. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.

Luc. XVII, 20. Et cum quidam ex Pharisaeis interrogassent Iesum: Quando veniet regnum Dei? respondit, et dixit eis: Non veniet regnum Dei cum exspectatione:

21. neque dicent: Ecce, hic est, et ecce illic. Sane regnum Dei intra vos est.

XXI, 37. Die autem docebat in templo;

nocte vero exiens, pernoctabat in monte, qui vocatur mons olivarum.

38. Et omnis populus praeveniebat eum in templo, ut audiret verbum eius.

Matth. XXIII, 1. Tunc Iesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos,

2. dicens illis: Super cathedram Moysi sederunt Scribae et Pharisaei.

3. Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, ut observetis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim, et non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia, et imponunt in humeros hominum: unum autem ex digitis suis nolunt admovere ad ea.

5ª. Et omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.

Marc. XII, 37ᵇ. Omnis autem turba audiebat haec cum gaudio.

38. Et in doctrina sua dicebat eis: Cavete vos a Scribis, qui volunt in palliis ambulare, et amant salutari in plateis,

39. et primas cathedras in sinagogis, et primos discubitus in conviviis:

Matth. XXIII, 5ᵇ. dilatant enim phylacteria sua, et producunt fimbrias velamentorum suorum,

7ᵇ. et vocari ab hominibus: Magister.

Marc. XII, 40. Devorant autem domos viduarum sub obtentu prolixae orationis: hi sane accipient amplius iudicium.

Matth. XXIII, 8. Vos autem nolite vocari Magistri, unus est enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis.

9. Et patrem nolite vocare vobis in terra; unus est enim Pater vester, qui in caelis est.

10. Nec vocemini moderatores, quia moderator vester unus est, Messias.

11. Qui maior est in vobis, erit minister vester.

12. Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.

Luc. XI, 43. Vae vobis, Pharisaei, quia diligitis primas cathedras in synagogis et salutationes in plateis.

Matth. XXIII, 14. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia comeditis domos viduarum propter orationes vestras prolixas: ac ideo amplius accipietis iudicium.

13ª. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia clauditis regnum Dei ante homines:

Luc. XI, 52ª. vae vobis, legisperiti, quia absconditis claves scientiae:

Matth. XXIII, 13ᵇ. vos non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

15. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia circuitis mare et aridam, ut trahatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.

16. Vae vobis, duces caeci, qui dicitis: Quicunque iuraverit per templum, nihil est: qui autem iuraverit per aurum, quod est in templo, reus est.

17. Stulti caeci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum?

18. Et: Quicunque iuraverit per altare, nihil est: qui autem iuraverit per oblationem, quae est super illud, reus est.

19. Stulti caeci, quid maius est, oblatio, an altare, quod sanctificat oblationem?

20. Qui ergo iurat per altare, iurat per illud et per omnia, quae super illud sunt:

21. et qui iurat per templum, iurat per illud et per eum, qui habitat in ipso:

22. et qui iurat per caelum, iurat per thronum Dei et per eum, qui sedet super illum.

23. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, qui decimatis mentham, et rutam, anethum et cyminum ac omnia olera, et reliquistis, quae graviora sunt legis: iudicium, et misericordiam, et fidem, et amorem Dei: haec oportet facere, et illa non omittere.

24. Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem ornantes.

25. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia mundatis, quod deforis est calicis et paropsidis: intus autem pleni sunt iniquitate et iniustitia.

26. Pharisaei caeci, mundate prius intus calicis et paropsidis, et quod deforis eorum est, mundum erit.

27. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia similes estis sepulcris deal-

batis, quae aforis parent specio sa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni immunditia:

28. sic et vos aforis paretis hominibus tamquam iusti, intus autem pleni estis iniquitate et hypocrisi.

Luc. XI, 45. Respondens unus de Scribis, dixit illi: Magister, hoc sermone tuo contumeliam nobis facis.

46. Dixit: Et vobis, Scribae, vae, quia oneratis homines oneribus gravibus, et ipsi neque uno digito vestro tangitis onera illa.

Matth. XXIII, 29[a]. Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, qui aedificatis sepulcra Prophetarum,

Luc. XI, 47[b]. quos occiderunt patres vestri,

Matth. XXIII, 29[b]. et ornatis monumenta iustorum,

30. et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum:

31. En igitur testimonium perhibitis contra vosmetipsos, quod filii sitis eorum, qui Prophetas occiderunt;

32. et vos consummatis limitem patrum vestrorum.

33. Serpentes, genimina viperarum, quo fugietis a iudicio gehennae?

## CAPUT XLI.

34. Ideo ecce, ego, sapientia Dei, mitto ad vos prophetas et apostolos, et sapientes et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et eiicietis de civitate in civitatem,

35. ut veniat super vos omnis sanguis iustorum, qui effusus est super terram, a sanguine Abel innocentis usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.

36. Amen, dico vobis: Venient haec omnia super generationem istam.

37. Ierusalem, Ierusalem, interfectrix prophetarum et lapidatrix eorum, qui ad eam missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluistis?

38. Relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. Amen, dico vobis; Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Ioan. XII, 42. Et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisaeos non confitebantur, ne fierent extra synagogam.

43. Diligebant enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

44. Iesus autem clamavit, et dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

46. Ego lux in mundum veni: omnis ergo, qui credit in me, in tenebris non manet.

47. Et qui audierit verba mea, et non custodierit ea, ego non iudico eum: non enim veni ad iudicandum mundum, sed ad vivificandum mundum.

48. Qui spernit me, et non accipit verba mea, est qui iudicet eum: sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die.

49. Ego ex me ipso non loquor, sed qui misit me, Pater: ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar.

50. Et scio, quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo loquor, sicut dixit mihi Pater meus, sic loquor.

Luc. XI, 53. Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Scribae et Pharisaei indignari in malitia sua, et verba eius reprehendere, ac eum in multis divexare,

54. quaerentes aliquid capere de ore eius, ut eum accusare possent.

XII, 1. Multis autem convenientibus turbis ita, ut fere se invicem calcarent, coepit Iesus dicere ad discipulos suos: Cavete a

fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis.

2. Nihil autem opertum est, nisi ut reveletur, neque absconditum, nisi ut sciatur.

3. Omnia, quae in tenebris dixistis, in lumine audientur, et quod auribus credidistis in cubiculis, praedicabitur super tecta.

Ioan. XII, 36b. Haec dixit Iesus; et abiit, et abscondit se ab eis.

37. Et licet haec omnia signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum,

38. ut sermo Isaiae prophetae impleretur, qui dixit: Domine, quis credidit, ut audiat nos? et brachium Domini, cui revelatum est?

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias:

40. Excaecate oculos eorum, et cordi eorum tenebras obducite, ut non videant oculis, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.

41. Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo.

Matth. XXIV, 1. Et egressus Iesus de templo, accesserunt quidam ex discipulis eius, et ostenderunt ei aedificationes templi, et pulcritudinem et magnificentiam eius,

Marc. XIII, 1b. ac firmitatem lapidum in eo adhibitarum, et elegantiam structurae eius;

Luc. XXI, 5b. et quomodo pretiosis lapidibus, et coloribus pulcris ornatum esset.

Matth. XXIV, 2a. Respondit Iesus, et dixit illis: Videtis has magnas structuras? Amen, dico vobis:

Luc. XIX, 43b. Venient profecto dies,

44b. et non relinquetur hic in eis lapis super lapidem, qui non destruatur.

Marc. XIV, 1. Et biduum ante Pascha azymorum quaerebant summi Sacerdotes et Scribae, quomodo eum dolo tenerent, et occiderent.

2. Dicebant autem: Non in festo, ne forte populus tumultuetur.

XIII, 3. Et cum sederet Iesus in monte olivarum contra templum, accesserunt ad eum Simon Cephas et Iacobus, et Ioannes et Andreas, et dixerunt ei inter se et illum:

Luc. XXI, 7b. Praeceptor,

Matth. XXIV, 3b. dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis mundi?

4a. Respondens Iesus, dixit eis:

Luc. XVII, 22b. Venient dies, quando desideretis videre unum diem ex diebus Filii hominis, et non videbitis.

Matth. XXIV, 4b. Cavete, ne quis vos seducat:

5. multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Messias:

Luc. XXI, 8b. et dicent: Tempus appropinquavit;

Marc. XIII, 6c. et multos seducent:

Luc. XXI, 8c. nolite ergo ire post eos.

Marc. XIII, 7a. Cum igitur audieritis bella et rumores seditionum,

Matth. XXIV, 6b. videte, ne turbemini:

Luc. XXI, 9b. oportet primum haec fieri, sed nondum venit finis.

Matth. XXIV, 7a. Consurget gens in gentem, et regnum in regnum,

Luc. XXI, 11. et terrae motus magni erunt per loca, et fames et pestilentiae, et commotiones; terrores ac pavores erunt, et signa magna apparebunt de caelo, et himbres magni erunt:

Matth. XXIV, 8. haec omnia initium sunt inundationum.

Luc. XXI, 12. Et ante haec omnia iniicient vobis manus, et persequentur et tradent vos in synagogas et custodias, trahentes vos ante reges et praesides propter nomen meum:

13. hoc autem erit vobis in testimonium.

Marc. XIII, 10. Primum autem oportet in omnes gentes praedicari Evangelium meum.

Luc. XII, 11. Cum autem inducent vos in synagogas ante principes et potestates, nolite antea solliciti esse, quomodo respondeatis, aut quid dicatis:

Marc. XIII, 11b. non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus sanctus.

Luc. XXI, 14. Ponite in corde vestro non praemeditari, quid dicatis:

15. Ego enim dabo vobis intelligentiam et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.

Matth. XXIV, 9. Tunc enim tradent vos in angustiam, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

10. Et tunc scandalizabuntur multi, et odio habebunt invicem, et invicem tradent ad mortem.

Luc. XXI, 16. Trademini autem a parentibus et fratribus, et cognatis et amicis, et morte afficient ex vobis;

18. cirrus autem capillorum de capite vestro non peribit.

19. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Matth. XXIV, 11. Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos.

12. Et propter abundantiam iniquitatis, languescet charitas multorum:

13. qui autem toleraverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet omnium consummatio.

## CAPUT XLII.

Luc. XXI, 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius.

21. Illo in tempore, qui in Iudaea sunt, fugiant ad montem, et qui in medio eius, fugiant, et qui in pagis, non intrent in eam:

22. quia dies isti dies ultionis sunt, ut impleantur omnia, quae scripta sunt.

Matth. XXIV, 15. Cum ergo videritis abominabilem desolationem, quae dicta est in Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat:

16. tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montem:

Marc. XIII, 15. et qui super tectum, ne descendat, et ne ingrediatur, ut tollat quid de domo sua:

16. et qui in agro erit, non revertatur retro, ut tollat vestimentum suum.

Luc. XXI, 23. Vae praegnantibus et lactantibus in illis diebus: erit pressura magna in terra, et ira super populum hunc.

24. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes regiones; et Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Marc. XIII, 21. Tunc si quis vobis dixerit: Messias est hic, aut, ecce est illic, ne credideritis.

Matth. XXIV, 24. Tunc surgent pseudochristi et pseudoprophetae, et facient signa et prodigia, ut in errorem inducant, si possent, etiam electos.

Marc. XIII, 23. Vos ergo cavete, iam enim praedixi vobis omnia.

Matth. XXIV, 26. Si ergo dixerint vobis: Ecce, in deserto est: nolite exire, ne apprehensi sitis; et si dixerint vobis: Ecce, in cubiculo est: nolite credere.

27. Sicut enim fulgur manifestatur ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis.

Luc. XVII, 25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac.

Matth. XXIV, 20. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel in sabbato.

21. Erit tunc angustia magna, cuius similis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

Marc. XIII, 20. Et nisi breviasset Dominus dies illos, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos, quos elegit, breviavit dies illos.

Luc. XXI, 25. Et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terra pressura gentium, et frictio manuum prae gemitu sonitus maris et terrae motus.

26ª. Exibunt hominum animae prae timore, qui superveniet terrae.

Marc. XIII, 24ª. In illis autem diebus,

Matth. XXIV, 29. statim post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur:

30. et tunc parebit signum Filii hominis in caelo: et tunc eiulabunt omnes tribus terrae, et respicient ad Filium hominis venientem super nubibus caeli, cum virtute et maiestate multa.

31. Et mittet Angelos suos cum tuba magna, et congregabunt electos eius a quatuor ventis, ab extremitate caeli usque ad terminum eius.

Luc. XXI, 28. His autem fieri incipientibus, confortamini, et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.

Matth. XXIV, 32. Ab arbore fici discite parabolam: Cum enim rami eius teneri fuerint, et folia emiserit, scitis quia adest aestas:

33. ita et vos, cum videritis haec fieri coepisse, scitote, quia regnum Dei ad ianuam pervenit.

34. Amen, dico vobis: Quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant.

35. Caelum et terra cessabunt, verba autem mea non praeteribunt.

Luc. XXI, 34. Attendite vobis, ne forte graventur aliquando corda vestra in iniquitate et ebrietate, et curis saeculi, et superveniat in vos repente dies illa.

35. Ipsa enim tamquam ictus percutiet omnes, qui habitant super faciem universae terrae.

36. Vigilate omni tempore, et orate, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

Marc. XIII, 32. De die illo, et de illa hora nemo scit, neque Angeli caeli, neque Filius, nisi Pater.

33. Cavete, vigilate et orate: nescitis enim, quando illud tempus sit.

34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem suam, ac praescripsit unicuique opus suum, et ianitori praecepit, ut sit vigilans.

35. Vigilate ergo, quia nescitis, quando dominus domus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane,

36. ne, veniens inopinate, inveniat vos dormientes.

37. Quod vobis dico, omnibus vobis dico: Vigilantes estote.

Matth. XXIV, 37. Etenim sicut accidit in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis.

38. Sicut erant ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad diem, quo intravit Noe in arcam,

39. et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit adventus Filii hominis.

Luc. XVII, 28. Et similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant et bibebant, vendebant et emebant, plantabant et aedificabant:

29. eadem die, qua exiit Lot a Sodomis, et pluit Dominus ignem et sulphur de caelo, et omnes perdidit:

30. sic erit in die, qua Filius hominis revelabitur.

31. In illa autem die qui fuerit in tecto, et vestimenta eius in domo, ne descendat tollere illa; et qui fuerit in agro, ne redeat retro.

32. Memores estote uxoris Lot.

33. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam, et qui perdiderit animam suam, vivificabit eam.

34. Amen, dico vobis: In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus assumetur, et alter relinquetur:

35. et duae erunt molentes mola una, una assumetur, et altera relinquetur: et duo erunt in eodem agro, unus assumetur, et alter relinquetur.

36. Responderunt, et dixerunt illi: Ubi, Domine?

37. Dixit illis: Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilae.

Matth. XXIV, 42. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.

43. Hoc scitote: Si sciret paterfamilias, qua vigilia fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

44. Ideo et vos estote parati, etenim qua hora non putatis Filius hominis veniet.

## CAPUT XLIII.

Luc. XII, 41. Ait illi Simon Cephas: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes homines?

42ª. Dixit ei Iesus:

Matth. XXIV, 45. Quis, putas, est fidelis servus, et prudens domus praepositus, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

46. Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem.

Luc. XII, 44ª. Amen, dico vobis:

Matth. XXIV, 47ᵇ. Quoniam super omnia sua constituet eum.

48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram faciet dominus meus venire;

Luc. XII, 45ᵇ. et coeperit percutere servos et ancillas domini sui;

Matth. XXIV, 49ᵇ. et sumserit manducare et bibere cum ebriosis:

50. veniet dominus servi illius in die, qua non putat, et hora, qua ignorat,

51ª. et dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis,

Luc. XII, 46ᶜ. et cum infidelibus:

Matth. XXIV, 51ᵇ. illic erit fletus et stridor dentium.

XXV, 1. Tunc simile erit regnum caelorum decem virginibus, quae, accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae.

2. Quinque ex eis erant prudentes, et quinque fatuae:

3. istae autem fatuae, acceptis lampadibus suis, non sumserunt oleum secum:

4. prudentes vero acceperunt oleum in vasis cum lampadibus.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt.

6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et paraverunt lampades suas.

8. Dixerunt sapientibus fatuae: Date nobis de oleo vestro, extinguuntur enim lampades nostrae.

9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis: ite ad vendentes, et emite vobis.

10. Dum autem irent emere, venit sponsus, et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est ianua.

11. Novissime vero venerunt et aliae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12. Respondit, et ait illis: Amen, dico vobis: Nescio vos.

13. Vigilate itaque: nescitis enim diem illam, et horam illam.

14. Sicut homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem: et profectus est statim.

16. Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, et negotiatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.

19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.

20. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, solvit alia quinque, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, alia quinque superlucratus sum.

21. Ait illi dominus eius: Euge, serve bone fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

22. Accessit autem qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce, alia duo superlucratus sum.

23. Ait illi dominus eius: Euge, serve bone fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es, metis, unde non seminasti, et congregas, unde non sparsisti:

25. et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra: ecce, habes quod tuum est.

26. Respondit dominus eius, et dixit ei: Serve male et piger, cognoscebas me, quia meto, unde non seminavi, et congrego, unde non sparsi,

27. oportuit te committere mensae pecuniam meam, et veniens ego, exegissem eam cum usuris.

28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta:

29. habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum proiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium.

Luc. XII, 35. Sint lumbi vestri praecincti, et lampades vestrae accensae,

36. et vos sitis similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a convivio, ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei.

37. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus eorum, invenerit vigilantes: Amen, dico vobis: Quod praecinget lumbos suos, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secunda vigilia, vel tertia, et ita invenerit: beati sunt servi illi.

Matth. XXV, 31. Cum autem venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti Angeli eius cum eo, tunc sedebit super thronum maiestatis suae,

32. et congregabit coram se omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis,

33. et statuet oves a dextris suis, hoedos autem a sinistris.

34. Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, haereditate paratum vobis regnum a constitutione mundi:

35. esurivi, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes fui, et collegistis me:

36. nudus fui, et cooperuistis me, infirmus fui, et visitastis me: in carcere eram, et mei curam habuistis.

37. Tunc dicent ei iusti: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: aut sitientem, et dedimus tibi potum?

38. et quando te vidimus hospitem, et collegimus te, aut nudum, et cooperuimus te?

39. quando autem te vidimus infirmum, aut in carcere, et tui curam habuimus?

40. Respondens rex, dicet illis: Amen, dico vobis: Quodcunque fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet et his, qui a sinistris eius erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et ministris eius;

42. esurivi, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum:

43. hospes fui, et non collegistis me: nudus fui, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere eram, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut nudum, aut hospitem, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondens, dicet illis: Amen, dico vobis: Quandiu non fecistis uni de minoribus his, neque et mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam.

## CAPUT XLIV.

XXVI, 1. Et cum consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis:

2. Vos scitis, quia post biduum pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.

3. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum et Scribae, et seniores populi in atrium principis Sacerdotum, qui dicitur Caiphas;

4. et consilium fecerunt de Iesu, ut eum dolo tenerent, et occiderent.

5. Dicebant autem: Non in festo, ne forte tumultus fiat in populo;

Luc. XXII, 2c. quia ipsi timebant plebem.

3. Intravit autem satanas in Iudam, cognominatum Iscariotes, qui erat de numero duodecim.

4a. Et abiit, et sermonem habuit in templo cum principibus Sacerdotum et Scribis et magistratibus, dicens illis:

Matth. XXVI, 15a. Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?

Marc. XIV, 11a. Qui audientes gavisi sunt,

Matth. XXVI, 15b. et constituerunt ei triginta drachmas argenteas.

Luc. XXII, 6. Et spopondit eis. Et ex illo tempore quaerebat opportunitatem, ut traderet illis Iesum sine turbis.

Marc. XIV, 12. Et primo die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, et dixerunt ei: Quo vis, eamus, et paremus tibi, ut manduces pascha?

Ioan. XIII, 1. Ante festum autem paschae, sciens Iesus, advenisse horam, ut transiret de hoc mundo ad Patrem suum; et cum dilexisset suos in hoc mundo, in finem dilexit eos;

2. et tempore coenae, cum diabolus misisset in cor Iudae, filii Simonis Iscariotae, ut traderet eum,

3. et sciens Iesus, quia omnia tradidit Pater in manus eius, et quia a Patre exivit, et ad Patrem iret,

4. surrexit a coena, et posuit vestimenta sua, et accipiens linteum, praecinxit lumbos suos.

5. Et misit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum suorum, et extergere linteo, quo praecinxerat lumbos suos.

6. Et cum venisset ad Simonem Cepham, dixit ei Simon: Tu, Domine, lavas mihi pedes?

7. Respondit Iesus, et dixit ei: Quod ego facio modo, tu nescis: scies autem postea.

8. Dixit ei Simon: Non lavabis mihi pedes in aeternum. Ait illi Iesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

9. Dixit ei Simon Cephas: Ergo, Domine, non tantum lava pedes meos, sed et manus, et caput.

10. Dixit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, cum sit mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11. Sciebat enim Iesus, quisnam esset traditor eius; propterea dixit: Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, et sedens dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magistrum et Dominum; et bene dicitis: ita sum.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister vester, quanto magis aequum est, ut alter vestrum alterius lavet pedes?

15. Hoc enim exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum feci vobis, ita et vos faciatis.

16. Amen, amen dico vobis. Non est servus maior domino suo, neque apostolus maior est eo, qui misit illum.

17. Si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea.

18. Non omnibus vobis est hic sermo meus: ego enim scio, quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum,

19. Amodo dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.

20. Amen, amen dico vobis: Qui accipit quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Luc. XXII, 27. Quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne, qui recumbit? Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis:

29. et ego spondeo vobis, sicut spopondit mihi Pater meus, regnum,

30. ut edatis, et bibatis super mensam regni mei.

7. Advenit autem prima dies festi Azymorum, in qua solent Iudaei occidere pascha.

8. Et misit Iesus duos ex discipulis suis, Cepham et Ioannem, dicens eis: Ite, et parate nobis pascha, ut manducemus.

9. Dixerunt autem ei: Ubi vis, ut tibi paremus?

10a. Dixit ad eos:

Marc. XIV, 13b. Ite, intrate civitatem,

Luc. XXII, 10b. et introeuntibus vobis, occurret vobis homo amphoram aquae portans: sequimini eum, et quo ingreditur,

11a. dicite patrifamilias:

Matth. XXVI, 18b. Magister noster dicit: Tempus meum advenit, et apud te facio pascha:

Luc. XXII, 11b. ubi est ergo diversorium, ubi cum discipulis meis manducem?

12. Et ostendet vobis coenaculum magnum, stratum et paratum,

Marc. XIV, 15c. et illic parate nobis.

16. Et egressi sunt duo discipuli eius, et venerunt in civitatem; et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha, quemadmodum praeceperat eis.

Luc. XXII, 14. Et cum advenisset vespera, et esset hora, venit Iesus, et discubuit, et duodecim Apostoli cum eo;

15. et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

16. Dico vobis: Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

Ioan. XIII, 21a. Dicens hoc Iesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: Amen, amen dico vobis:

Marc. XIV, 18b. Quia unus ex vobis, qui manducat mecum, ipse me tradet.

19. Et contristati sunt valde, et coeperunt dicere ei singulatim: Numquid ego sum, Domine?

20. Respondens, ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum suam in catino, ipse me tradet:

Luc. XXII, 21. et, ecce, manus tradentis me in mensa.

Marc. XIV, 21. Filius autem hominis ibit, sicut scriptum est de eo: vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: melius erat homini illi, si natus non fuisset.

Ioan. XIII, 22. Intuebantur autem ad invicem discipuli, nescientes cui innueret.

Luc. XXII, 23. Et coeperunt quaerere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

## CAPUT XLV.

Ioan. XIII, 23. Erat autem recumbens in sinu eius unus ex discipulis suis, quem diligebat Iesus.

24. Huic innuit Simon Cephas, ut interrogaret eum, quis esset hic, de quo dixit.

25. Recubuit itaque discipulus ille supra pectus Iesu, et dixit ei: Domine, quis est hic?

26. Respondit Iesus, et ait: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et intinxit Iesus panem, et dedit Iudae, filio Simonis Iscariotae.

27. Et post panem, introivit in eum satanas. Dixit autem ei Iesus: Quod vis facere, festina facere.

28. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei.

29. Quidam enim putabant, quia loculos

habebat Iudas, quod praecepisset ei emere, quae opus ei erant ad festum, aut egenis ut aliquid daret.

Matth. XXVI, 25. Respondens traditor Iudas, dixit: Numquid ego sum, Magister? Ait illi Iesus: Tu dixisti.

Ioan. XIII, 30. Iudas autem statim accipiens panem, egressus est foras. Erat autem nox.

31. Dixit autem Iesus: Nunc clarificabitur Filius hominis, et Deus clarificabitur in eo.

32. Et si Deus clarificabitur in eo, Deus etiam clarificabit eum in semetipso: et continuo clarificabit eum.

Marc. XIV, 22ª. Et manducantibus illis,

Matth. XXVI, 26ᵇ. accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait illis: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum.

Marc. XIV, 23ª. Et accepto calice, gratias agens benedixit, deditque eis, et ait:

Matth. XXVI, 27ᵇ. Accipite, et bibite ex hoc omnes;

Marc. XIV, 23ᵇ. et biberunt ex illo omnes.

24ª. Et ait illis:

Matth. XXVI, 28. Hic est sanguis meus, novum testamentum, pro multis effusus in remissionem peccatorum.

29. Dico vobis: Non bibam amodo de hoc succo vitis usque in diem, quo illum bibam vobiscum novum in regno Dei;

Luc. XXII, 19ᵇ. Et sic facite in meam commemorationem.

31. Ait autem Iesus Simoni: Simon, ecce satanas expetivit, ut cribraret vos sicut triticum:

32. ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu quoque, aliquando conversus, confirma fratres tuos.

Ioan. XIII, 33. Filii mei, adhuc modicum vobiscum sum. Quaeretis me, et sicut dixi Iudaeis: Quo ego vado, vos non potestis venire; et vobis dico modo.

34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem; et sicut ego dilexi vos, sic et vos diligite alterutrum.

35. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36. Dixit ei Simon Cephas: Domine, quo vadis? Respondit Iesus, et dixit illi: Quo ego vado, tu non potes me modo sequi: venies autem postea.

Matth. XXVI, 31. Tunc dixit illis Iesus: Omnes vos derelinquetis me in ista nocte. Scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

32. Post autem resurrectionem meam, praecedam vos in Galilaeam.

33. Respondit Simon Cephas, et ait illi: Domine, si omnes defecerint a te, ego nunquam a te deficiam:

Luc. XXII, 33ᵇ. ego tecum paratus sum ad carcerem et ad mortem;

Ioan. XIII, 37ᵇ. et animam meam pro te ponere.

38ª. Dixit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi:

Marc. XIV, 30ᵇ. quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis cantaverit,

Luc. XXII, 34ᵇ. ter abnegabis nosse me.

Marc. XIV, 31. At Cephas amplius loquebatur: Et si venerim tecum ad mortem, non te negabo, Domine. Similiter autem et omnes discipuli dixerunt.

Ioan. XIV, 1. Tunc ait illis Iesus: Non turbentur corda vestra. Credite in Deum, et in me credite.

2. In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum.

3. Et si abiero parare vobis locum, iterum revertar, et accipiam vos ad meipsum, et ubi sum ego, illic et vos eritis.

4. Et locum, quo ego vado, vos scitis, et viam scitis.

5. Dixit ei Thauma: Domine, nescimus quo vadis: et quomodo erit nobis via ad hoc cognoscendum?

6. Dixit ei Iesus: Ego sum via, et veritas, et vita: et nemo venit ad Patrem meum, nisi per me.

7. Et si cognovissetis me, Patrem meum utique cognovissetis: et amodo cognovistis eum, et vidistis eum.

8. Dixit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.

9. Dixit ei Iesus: Toto hoc tempore vobiscum sum, et nondum cognovistis me? Philippe, qui videt me, profecto videt Patrem. Quomodo ergo tu dicis: Ostende nobis Patrem?

10. Non credis, quia ego in Patre meo, et Pater meus in me est? Verba enim, quae loquor, a me ipso non loquor; sed Pater meus, qui manet in me, ipse facit haec opera.

11. Credite, quia ego in Patre meo, et Pater meus in me est.

12. Alioquin propter opera credite. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et plura his faciet. Ego ad Patrem vado:

13. et quodcunque petieritis in nomine meo, faciam vobiscum, ut glorificetur Pater in Filio suo.

14. Si ergo petieritis in nomine meo, ego faciam.

15. Si diligitis me, mandata mea servate.

16. Et ego rogabo Patrem meum, et alium Paraclitum mittet vobis, ut sit vobiscum in aeternum,

17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec cognoscit eum: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, et in vobis est.

18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

19. Adhuc modicum, et mundus me non videbit. Vos autem videbitis me, quia ego vivo, et vos vivetis.

20. Et in illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.

## CAPUT XLVI.

21. Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.

22. Dixit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid sibi vult, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo?

23. Respondit Iesus, et dixit ei: Qui diligit me, sermonem meum profecto servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus:

24. qui autem non diligit me, sermonem meum non servat. Et hic sermo, quem audistis, non est sermo meus, sed Patris, qui misit me.

25. Haec locutus sum vobis, apud vos manens;

26. Paraclitus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quae dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non autem quomodo hic mundus dat, do vobis. Ne praeoccupetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis, quia dixi vobis: Vado, et veniam ad vos. Nonne, si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem meum? Etenim Pater meus maior me est.

29. Et nunc dico vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis in me.

30. Nunc non multa loquar vobis; veniet princeps mundi, et in me non habebit quidquam.

31ª. Sed ut cognoscat mundus, quia ego diligo Patrem meum, et sicut mandavit mihi Pater meus, sic facio.

Luc. XXII, 35. Et ait illis: Quando misi vos sine saccis et peris et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36. Dixerunt ei: Nihil. Dixit eis: Amodo qui habet sacculum, tollat similiter et peram; et qui non habet gladium, vendat tunicam suam, et emat sibi gladium.

37. Dico vobis: Quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Quod cum iniquis deputabor. Etenim omnia, quae dicta sunt de me, impleta sunt in me.

38. Dixerunt ei discipuli eius: Domine, ecce duo gladii hic. Dixit eis: Satis sunt.

Ioan. XIV, 31b. Surgite, eamus hinc.

Luc. XXII, 39. Et surrexerunt, et, gratiis peractis, exierunt, et abierunt secundum eorum consuetudinem in montem olivarum, ipse et discipuli eius.

Ioan. XV, 1. Et ait illis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, et illum, qui fructum affert, purgabit, ut fructum multum afferat.

3. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.

4. Manete in me, et ego in vobis. Sicut enim palmes vitis non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.

5. Ego sum vitis, et vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.

6. Si quis autem in me non manserit, mittetur foras sicut palmes aridus, et colligetur, et in ignem mittetur, ut ardeat.

7. Si manseritis in me, et verbum meum in vobis manserit, quodcunque volueritis petere, fiet vobis.

8. In hoc antem glorificabitur Pater, ut fructum multum afferatis, et sitis mei discipuli.

9. Et sicut dilexit me Pater meus, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

10. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione.

11. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

12. Hoc est praeceptum meum: Ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos.

13. Non est autem maior hac dilectio, quam animam suam quis det pro amicis suis.

14. Vos amici mei estis, si feceritis omnia, quae praecepi vobis.

15. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et vos, et fructum afferatis; et fructus vester maneat: et quodcunque petieritis Patrem meum in nomine meo, det vobis.

17. Hoc mando vobis, ut diligatis invicem.

18. Et si mundus vos odit, scitote, quia me ante vos odio habuit.

19. Si enim de mundo fuissetis, mundus quod suum est diligeret: sed de mundo non estis; ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

20. Mementote sermonis, quem dixi vobis: Quia non est servus maior domino suo. Si ergo me persecuti sunt, et vos persequentur: et si verbum meum servaverunt, et verba vestra servabunt.

21. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me.

22. Si enim ego non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccatis suis.

23. Qui me odit, et Patrem meum odit.

24. Si enim opera non fecissem coram eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem viderunt, et oderunt et me et Patrem meum,

25. ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

26. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre meo, Spiritum veritatis, qui a Patre meo procedit, ille testimonium perhibebit de me,

27. et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

XVI, 1. Haec locutus sum vobis, ut non commoveamini.

2. Eiicient enim vos de synagogis suis: et veniet hora, ut omnis, qui interficiet vos, arbitretur oblationem se offerre Deo.

3. Et haec facient vobis, quia non agnoscent me, neque Patrem meum.

4. Haec locutus sum vobis, ut, cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis.

5. Haec autem vobis antea non dixi, quia vobiscum eram: et nunc vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vado.

6. Haec modo dixi vobis, et supervenit tristitia, et apprehendit corda vestra.

7. Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia, et de iudicio.

9. De peccato, quia non crediderunt in me:

10. de iustitia vero, quia ad Patrem meum vado:

11. de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

12. Et adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis sustinere modo.

13. Cum autem venerit Spiritus veritatis, ille suggeret vobis omnem veritatem: non loquetur quidquam a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur, et ea, quae ventura sunt, vos edocebit.

14. Et ille me clarificabit, quia a me accipiet, et monstrabit vobis.

15. Omnia, quae habet Pater meus, mea sunt. Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, et monstrabit vobis.

## CAPUT XLVII.

16. Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo discipuli eius ad invicem: Quid est hoc, quod dixit nobis: Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me; et: Quia vado ad Patrem?

18. Et dicebant: Quid est hoc modicum, quod dixit? Nescimus, quod loquitur.

19. Sciens autem Iesus, quia volebant eum interrogare, dixit eis: Num de hoc quaeritis ad invicem, quia dixi vobis: Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me?

20. Amen, amen dico vobis: Vos plorabitis et moerebitis, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier enim, cum ei appropinquat tempus pariendi, opprimit eam adventus diei partus eius: cum autem peperierit filium, non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. Etiam vos igitur nunc contristati estis: certo autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis: Quaecunque petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis.

24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo: petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

25. Nunc in proverbiis locutus sum vobis. Veniet autem hora et tempus, cum non in proverbiis loquar vobis, sed aperta revelatione de Patre manifestabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia rogabo Patrem pro vobis:

27. Pater enim amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Patre meo exivi.

28. Exivi a Patre meo, et veni in mundum: et relinquo mundum, et vado ad Patrem meum.

29. Dixerunt ei discipuli eius: Ecce, nunc verba tua clara sunt, et nihil in proverbio dicis:

30. nunc ecce, scimus, quia tu cognoscis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget: et in hoc credimus, quia a Deo existi.

31. Dixit eis Iesus: Credite,

32. quia veniet hora, et iam venit, et dispergemini unusquisque in locum suum, et me solum relinquetis: et non sum solus, quia Pater mecum est.

33. Haec dixi vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo enim assequetur vos pressura, sed roboramini: ego enim vici mundum.

XVII, 1. Haec locutus est Iesus, et, sublevatis oculis in caelum, dixit: Pater mi, venit hora: clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.

2. Sicut dedisti ei potestatem super omnem carnem, ut omne, quod dedisti ei, det illi vitam aeternam.

3. Haec est autem vita aeterna: Ut sciant te esse solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Messiam.

4. Ego te clarificavi in terra; et opus, quod dedisti mihi, ut facerem, consummavi:

5. nunc ergo clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.

6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt.

7. Nunc cognoverunt, quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt:

8. et verba, quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti.

9. Ego autem pro eis rogo: et non est pro mundo petitio mea, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt:

10. et mea omnia tua sunt, et tua omnia mea sunt, et ego clarificatus sum in eis:

11. et iam non sum in mundo: et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut nos.

12. Cum essem cum eis in mundo, ego servabam eos in nomine tuo. Quos enim dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleretur.

13. Nunc ad te convertor, et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut ego non sum de mundo.

15. Non enim hoc peto, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.

16. De mundo non sunt, sicut ego non sum de mundo.

17. Pater, sanctifica eos in veritate, quia sermo tuus veritas est.

18. Et sicut me misisti in mundum, et ego mitto eos in mundum.

19. Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

20. Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis, qui crediturì sunt per verbum eorum in me,

21. ut omnes unum sint; sicut tu in me, et ego in te, sint et ipsi in nobis unum, ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut nos unum sumus.

23. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus, quia tu me misisti: ego enim dilexi eos, sicut tu me dilexisti.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum, sint et illi mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; tu enim dilexisti me ante constitutionem mundi.

25. Pater mi iuste, mundus te non cognovit: ego autem te cognosco, et hi cognoverunt, quia tu me misisti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego sim in ipsis.

## CAPUT XLVIII.

XVIII, 1. Haec dixit Iesus, et egressus est cum discipulis suis ad locum, qui dicitur Gethsemani, trans torrentem Cedron, ad montem positum, in quo erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius.

2. Sciebat autem locum illum Iudas traditor; quia frequenter Iesus conveniebat illuc cum discipulis suis.

Luc. XXII, 40ª. Et cum pervenisset Iesus ad locum, dixit discipulis suis:

Matth. XXVI, 36ᵇ. Sedete hic, donec vadam, et orem.

Luc. XXII, 40ᵇ. Orate, ne intretis in tentationem.

Matth. XXVI, 37. Et assumpto Cepha, et duobus filiis Zebedaei simul, Iacobo et Ioanne, coepit contristari et moestus esse.

38. Et ait illis: Afflicta est anima mea usque ad mortem: manete hic, et vigilate mecum.

Luc. XXII, 41. Et ipse paululum avulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, et, positis genibus, procidit super faciem suam,

Marc. XIV, 35ᵇ. et orabat, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora illa:

36ª. et dixit: Pater, tu omnia potes,

Luc. XXII, 42. si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

Matth. XXVI, 40. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dixit Cephae:

Marc. XIV, 37ᵇ. Simon, dormis?

Matth. XXVI, 40ᵇ. Sic non potuistis una hora vigilare mecum?

41ª. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem:

Marc. XIV, 38ᵇ. spiritus alacer et promptus est, corpus vero infirmum.

Matth. XXVI, 42. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Marc. XIV, 40. Et reversus denuo, invenit discipulos suos dormientes: oculi enim eorum erant gravati prae tristitia et moerore, et nesciebant, quid responderent ei.

Matth. XXVI, 44. Et, relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens.

Luc. XXII, 43. Apparuit autem illi Angelus de caelo, confortans eum. Et cum timeret, continua oratione orabat.

44. Et factus est sudor eius, sicut rivulus sanguinis, et cecidit in terram.

45ª. Tunc surrexit ab oratione, et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes;

46ª. et ait illis:

Matth. XXVI, 45ᵇ. Dormite iam, et requiescite:

Marc. XIV, 41ᵇ. appropinquavit finis, et venit hora: et ecce, Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42ª. Surgite, eamus:

Matth. XXVI, 46ᵇ. ecce, appropinquavit, qui me tradet.

47. Adhuc eo loquente, venit Iudas traditor, unus de duodecim, et cum eo turba multa, portantes lanternas et lampades, et gladios et baculos, missi a principibus Sacerdotum, et Scribis et senioribus populi: et cum eis vir romanorum.

48. Iudas autem traditor dedit illis signum, dicens: Quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum

Marc. XIV, 44ᵇ. libere, et ducite illum.

Ioan. XVIII, 4. Iesus autem, sciens omnia, quae ventura erant super eum, exiit ad eos:

Matth. XXVI, 49. et confestim accedens ad Iesum traditor Iudas, dixit: Ave, praeceptor, et osculatus est eum.

50. Iesus autem dixit illi:

Luc. XXII, 48ᵇ. Iuda, osculo Filium hominis tradis?

Matth. XXVI, 50ᵇ. Amice, numquid ad hoc venisti?

Luc. XXII, 52ª. Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se:

Ioan. XVIII, 4b. Quem quaeritis?

5. Dixerunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem et Iudas traditor cum ipsis.

6. Ut autem dixit eis Iesus: Ego sum; abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.

7. Et iterum interrogavit eos Iesus: Quem quaeritis? Responderunt: Iesum Nazarenum.

8. Ait illis Iesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quaeritis, sinite hos abire.

9. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quos dedisti mihi, non perdam ex eis quemquam.

Matth. XXVI, 50b. Tunc accesserunt illi, qui erant cum Iuda, et manus iniecerunt in Iesum, et tenuerunt eum.

Luc. XXII, 49. Videntes autem discipuli eius quod accidit, dixerunt: Domine, percutimus eos gladiis?

Ioan. XVIII, 10. Simon ergo Cephas, habens gladium, eduxit eum, et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam eius dexteram. Nomen autem servi illius erat Malchus.

11. Dixit Iesus Cephae: Calicem, quem dedit mihi Pater meus, non bibam illum?

Matth. XXVI, 52b. Mitte gladium in vaginam suam: omnes enim, qui aggressi fuerint gladio, gladio peribunt.

53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?

54. Quomodo ergo implebuntur Scripturae, dicentes, quia sic oportet fieri?

Luc. XXII, 51b. Post hoc leniter tetigit aurem, quam percusserat, et sanavit eam.

Matth. XXVI, 55. Et in illa hora dixit Iesus turbis: Numquid sicut impetus fit in latronem, existis contra me, cum gladiis et fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam, docens, in templo, et non me tenuistis:

Luc. XXII, 53b. sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum.

Matth. XXVI, 56. Hoc autem factum est, ut adimplerentur scripturae Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt.

Ioan. XVIII, 12. Cohors ergo, et tribuni et milites Iudaeorum apprehenderunt Iesum, et abierunt.

Marc. XIV, 51. Adolescens autem quidam sequebatur eum nudus, obvolutus sindone; et tenuerunt eum.

52. At ille, reiecta sindone, profugit nudus.

Ioan. XVIII, 13. Tunc apprehendentes Iesum, ligaverunt, et adduxerunt eum ad Annam primum, quia erat socer Caiphae, qui erat Pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudaeis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15. Sequebatur autem Iesum Simon Cephas, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, et introivit cum Iesu in atrium.

16. Simon autem stabat ad ostium foris. Et exivit alius ille discipulus, qui erat notus Pontifici, et locutus est cum ostiaria, quae introduxit Simonem.

17. Et cum ancilla ostiaria vidisset Simonem, intuita est eum, et ait illi: Nonne et tu unus es ex discipulis hominis istius, scilicet Iesu Nazareni?

Luc. XXII, 57. Et negavit dicens: Mulier, nescio illum:

Marc. XIV, 68b. neque etiam scio, quid dicas.

Ioan. XVIII, 18a. Surrexerunt autem servi et milites, et accenderunt ignem in medio atrii, ut calefacerent se, quia frigus erat.

Luc. XXII, 55a. Accenso autem igne, circumsederunt:

Ioan. XVIII, 18b. et venit etiam Simon, et sedit cum eis, ut calefaceret se,

Matth. XXVI, 58b. ut videret quid tandem accideret.

## CAPUT XLIX.

Ioan. XVIII, 19. Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius.

20. Dixit autem ei Iesus: Ego palam locutus sum populo: omni enim tempore docui in synagoga et in templo, ubi omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.

21. Cur me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis: hi enim sciunt omnia, quae dixerim.

22. Haec autem cum dixisset, unus ex adstantibus militibus, dedit alapam Iesu, dicens ei: Sic respondes Pontifici?

23. Respondit Iesus, et ait illi: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, cur me caedis?

24. Et Annas misit Iesum ligatum ad Caipham Pontificem.

25. Et cum egressus est Iesus, stabat Simon Cephas in atrio exteriori, calefaciens se.

Marc. XIV, 69. Et vidit eum rursus illa ancilla, et coepit dicere adstantibus:

Matth. XXVI, 71b. Erat ibi etiam hic cum Iesu Nazareno.

73a. Et accesserunt, qui stabant, et dixerunt Cephae: Vere tu unus ex discipulis eius es.

72. Et iterum negavit cum iuramento: Quia non cognosco hominem.

Luc. XXII, 58a. Et post pusillum

Ioan. XVIII, 26a. vidit eum unus ex servis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Simon auriculam,

Luc. XXII, 59b. et altercans dixit: Vere, hic cum illo erat, galilaeus est et ipse,

Matth. XXVI, 73b. nam loquela eius similis est.

Ioan. XVIII, 26b. Et dixit Simoni: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

Marc. XIV, 71. Tunc Simon coepit anathematizare, et iurare: Quia non cognosco hominem istum, cuius meministis.

Luc. XXII, 60b. Et continuo adhuc illo loquente, bis cantavit gallus.

61a. Et illa hora conversus est Iesus, qui foris erat, et intuitus est Cepham. Et recordatus est Simon verbi Domini nostri, quod ei dixerat:

Marc. XIV, 30. Quia prius quam gallus bis cantaverit, ter me es negaturus.

Luc. XXII, 62. Et egressus foras Simon flevit amaro fletu.

66. Mane autem propinquante, convenerunt omnes custodes templi, principes Sacerdotum et Scribae et seniores populi, et omnis turba struentes insidias;

Matth. XXVII, 1b. et consilium inierunt adversus Iesum, ut occiderent eum.

XXVI, 59b. Et quaerebant falsos testes, qui testimonium perhiberent contra Iesum, ut eum morti traderent;

60a. et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent;

Marc. XIV, 59. et non erat conveniens testimonium illorum.

Matth. XXVI, 60b. Novissime autem accesserunt duo falsi testes,

Marc. XIV, 57b. et dixerunt:

58. Nos audivimus eum dicentem: Quia ego dissolvam hoc Dei templum manu factum, et post triduum aliud non manu factum aedificabo.

59. Neque sic conveniens erat testimonium illorum.

Matth. XXVI, 63a. Iesus autem tacebat.

Marc. XIV, 60a. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Iesum, dicens:

Matth. XXVI, 62b. Nihil respondes ad ea, quae isti adversum te testificantur?

Marc. XIV, 61a. Iesus autem tacebat, et nihil respondit.

Luc. XXII, 66b. Et duxerunt illum in concilium suum, dicentes ei: Si tu es Messias, dic nobis.

67. Ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. et si vos interrogavero, non respondebitis mihi verbum, aut me dimittetis.

Matth. XXVI, 63b. Respondit autem

princeps Sacerdotum, et ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Messias, Filius Dei vivi.

64ª. Dixit illi Iesus: Tu dixisti, quia ego sum.

Luc. XXII, 70. Dixerunt ei omnes: Tu ergo es Filius Dei? Ait Iesus: Vos dicitis, quia ego sum;

Matth. XXVI, 64ᵇ. dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem super nubibus caeli.

Marc. XIV, 63ª. Tunc princeps sacerdotum scidit tunicam suam, dicens:

Matth. XXVI, 65ᵇ. Blasphemavit!

Luc. XXII, 71. Dixerunt autem omnes: Quid adhuc quaerimus testimonia? Modo audivimus blasphemiam de ore eius.

Marc. XIV, 64ᵇ. Quid vobis videtur?

Matth. XXVI, 66ᵇ. Respondentes omnes, dixerunt: Dignus est morte.

Marc. XIV, 65ª. Tunc accesserunt quidam ex eis, et conspuerunt in faciem eius, et percusserunt illum,

Luc. XXII, 63ᵇ. et illudebant ei.

Marc. XIV, 65ᵇ. Milites autem, percutientes genas eius, dicebant:

Matth. XXVI, 68. Prophetiza nobis, Messia, quis est, qui te percussit?

Luc. XXII, 65. Et alia multa, blasphemantes, dicebant in eum.

Ioan. XVIII, 28ª. Et surgens universum concilium eorum, apprehenderunt Iesum, et adduxerunt eum vinctum in praetorium,

Marc. XV, 1ᵇ. et tradiderunt Pilato praesidi.

Ioan. XVIII, 28ᵇ. Ipsi autem non ingressi sunt in praetorium, ut non invenirentur immundi cum manducarent pascha.

Matth. XXVII, 11ª. Iesus autem stetit ante praesidem.

Ioan. XVIII, 29. Et exivit Pilatus ad eos foras, et dixit eis: Quod argumentum habetis adversus hominem hunc?

30. Responderunt, et dixerunt ei: Si non fecisset malum, non tibi tradidissemus eum.

Luc. XXIII, 2ᵇ. Hunc invenimus subvertentem populum nostrum, et prohibentem tributum dare Caesari, et dicentem, se Messiam regem esse.

Ioan. XVIII, 31. Dixit eis Pilatus: Ergo accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ei Iudaei: Non est nobis potestas interficere quemquam.

32. Ut impleretur verbum, quod dixit Iesus, quando significavit, qua morte esset moriturus.

33. Et introivit in praetorium Pilatus, et vocavit Iesum, et dixit ei: Tu es rex Iudaeorum?

34. Ait illi Iesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35. Dixit ei Pilatus: Numquid ego Iudaeus sum? Filii gentis tuae, et principes Sacerdotum tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36. Dixit illi Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudaeis: nunc regnum meum non est hinc.

37. Dixit ei Pilatus: Ergo rex es tu? Ait illi Iesus: Tu dicis, quia rex sum. Ego autem propterea natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; et omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.

38ª. Dixit ei Pilatus: Et quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos.

## CAPUT L.

Luc. XXIII, 4. Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum et turbas: Ego nihil invenio adversus hominem istum.

5. Clamaverunt autem et dixerunt: Commovet doctrinâ suâ populum nostrum in universa Iudaea, incipiens a Galilaea usque huc.

6. Pilatus autem, cum audisset nomen Galilaeae, interrogavit: Num homo iste galilaeus est?

7. Et ut cognovit, quod sub Herodis potestate esset, misit eum ad Herodem, quia Ierosolymis erat illis diebus.

8. Herodes autem, viso Iesu, gavisus est valde; volebat enim ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de gestis eius, et existimabat signum aliquod videre ab eo.

9. Et interrogavit eum multis verbis. Iesus autem nihil illi respondit.

10. Stabant autem Scribae et principes Sacerdotum vehementi reprehensione accusantes eum.

11. Sprevit autem illum Herodes cum ministris suis, et postquam illusisset ei, induit eum veste coccinea, et misit ad Pilatum.

12. Et facti sunt amici Pilatus et Herodes in illa die; antea enim inimicitia erat inter ipsos.

13. Pilatus autem, vocatis principibus Sacerdotum et magistratibus populi,

14. dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum vestrum, et ego coram vobis interrogavi eum, et nullam causam inveni in homine isto ex omnibus, in quibus eum accusatis.

15. Neque et Herodes: nam misi eum ad illum, et nihil dignum morte egit in eum.

16. Emendatum ergo illum dimittam.

18ª. Exclamavit universa turba, dicens: Tolle eum a nobis, tolle eum.

Marc. XV, 3. Et accusabant eum summi sacerdotes et seniores in multis.

Matth. XXVII, 12. Et cum accusaretur ab eis, non respondit ipse verbum.

13. Tunc ait illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia?

14. Et neque uno verbo respondit ei, propterea miratus est Pilatus.

19. Sedente autem praeside pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens ei: Cave: ne laedas iustum illum! multa enim passa sum hodie in somnio propter eum.

15. In omni autem festo consueverat praeses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent;

16. et erat in eorum carcere vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17ª. Congregatis ergo illis, dixit eis Pilatus:

Ioan. XVIII, 39. Est consuetudo vobis, ut vinctum dimittam vobis in pascha: vultis, ut dimittam vobis regem Iudaeorum?

40. Clamaverunt autem omnes, et dixerunt: Ne dimittas nobis hunc, sed dimitte nobis Barabbam. Hic autem Barabbas erat latro,

Luc. XXIII, 19. qui propter seditionem et caedem factam in civitate, missus erat in carcerem.

Marc. XV, 8. Et clamavit omnis populus, et coepit rogare, ut faceret eis sicut consuetudo ferebat.

9ª. Pilatus autem respondens, dixit eis:

Matth. XXVII, 17ᵇ. Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Messias, rex Iudaeorum?

18. Sciebat enim Pilatus, quod invidia moverat eos, ut illum traderent.

20. Principes autem Sacerdotum et seniores rogaverunt turbas, ut peterent liberationem Barabbae, et Iesum perderent.

21. Respondit praeses, et ait illis: Quem vultis de duobus, ut vobis dimittam? Dixerunt: Barabbam.

22. Dixit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Messias?

Marc. XV, 13. Clamaverunt omnes, dicentes: Crucifige eum.

Luc. XXIII, 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, quia volebat dimittere Iesum.

21. At illi clamaverunt, dicentes: Crucifige, crucifige eum, et dimitte nobis Barabbam.

22. Pilatus autem tertio dixit ad illos: Quodnam malum fecit iste? nullam causam morte dignam invenio in eo: corripiam illum, et dimittam.

23. At illi magis instabant voce magna postulantes, ut crucifigeret eum; et invalescebat vox eorum, et vox principum Sacerdotum.

Marc. XV, 15ª. Tunc Pilatus,

Luc. XXIII, 25ª. dimisit illis Barabbam, qui propter seditionem et caedem missus fuerat in carcerem, quem petebant:

Matth. XXVII, 26b. Iesum autem verberavit flagellis.

27. Tunc milites praesidis, accipientes Iesum, introduxerunt in praetorium, et congregaverunt ad eum universam cohortem,

28. et exuentes eum, chlamyde coccinea induerunt illum,

Ioan. XIX, 2. et veste purpurea circumdederunt eum, ac plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius,

Matth. XXVII, 29b. et arundinem in dextera eius. Et illudentes ei ac deridentes, genu flexo ante illum, adorabant, dicentes: Ave, rex Iudaeorum!

30. Et expuentes in faciem eius, accipiebant arundinem de manu eius, et percutiebant caput eius,

Ioan. XIX, 3c. et dabant ei alapas.

4. Exivit autem iterum Pilatus foras, et dixit Iudaeis: Ego educo vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio pro eius damnatione causam.

5. Exivit ergo Iesus foras, portans coronam spineam et purpureum vestimentum. Dixit eis Pilatus: Ecce homo.

6. Cum autem vidissent eum principes Sacerdotum et ministri, clamaverunt dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifigite: ego enim non invenio in eo causam.

7. Dixerunt ei Iudaei: Nos legem habemus, et secundum legem nostram dignus est morte, quia Filium Dei se fecit.

8. Cum autem audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

9. Et ingressus est atrium iterum, et dixit ad Iesum: Unde es tu? Iesus autem non respondit ei verbum.

10. Dixit ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis, quia potestatem habeo dimittere te, et potestatem habeo crucifigere te?

11. Ait illi Iesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccato tuo peccatum habet.

12. Propter autem hoc verbum volebat Pilatus dimittere eum; Iudaei vero clamabant: Si eum dimittis, non es amicus Caesaris: omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari.

## CAPUT LI.

13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, eduxit foras Iesum, et sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem vocatur Gabbatha.

14. Erat autem dies ille parasceve paschae, et hora quasi sexta, et dixit Iudaeis: Ecce, rex vester.

15. Illi autem clamaverunt: Tolle, tolle eum, crucifige, crucifige eum. Dixit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Dixerunt ei pontifices: Non habemus regem, nisi Caesarem.

Matth. XXVII, 24. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus suas coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis.

25. Respondens autem universus populus, dixit: Sanguis eius super nos et super filios nostros.

Ioan. XIX, 16a. Tunc praecepit Pilatus responderi petitioni eorum, et tradidit Iesum, ut crucifigeretur, secundum voluntatem ipsorum.

Matth. XXVII, 3. Tunc traditor Iudas, cum vidisset Iesum damnatum, abiit, et reddidit triginta argenteos principibus Sacerdotum et senioribus,

4. dicens: Peccavi, tradens sanguinem iustum. Dixerunt ei: Quid ad nos? tu videris.

5. Et proiecta pecunia in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit.

6. Principes autem Sacerdotum, accepta pecunia, dixerunt: Potestatem non habemus mittere eam in arcam oblationum, quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito, emerunt ex illa agrum figuli in sepulturam peregrinorum.

8. Propter hoc vocatus est ager ille: ager sanguinis, usque hodie.

9. Tunc impletum est, quod dictum est per prophetam, dicentem: Accepi triginta argenteos in pretium inclyti, statutum a filiis Israel:

10. et erogavi eos in agrum figuli, sicut praecepit mihi Dominus.

Ioan. XIX, 16b. Iudaei autem susceperunt Iesum,

Marc. XV, 20c. et abierunt, ut crucifigerent illum.

Ioan. XIX, 17a. Et baiulans sibi crucem exivit.

Matth. XXVII, 31b. Exuerunt eum purpureo et rubeo vestimento, quo erat indutus, et induerunt eum vestimentis suis.

32a. Et cum abirent cum illo, invenerunt hominem Cyrenaeum, venientem de villa, nomine Simonem,

Marc. XV, 21b. patrem Alexandri et Rufi;

Matth. XXVII, 32b. hunc angariaverunt, ut portaret crucem Iesu.

Luc. XXIII, 26b. Et suscipientes crucem, imposuerunt ei, ut portaret illam, et veniret post Iesum. Iesus enim praecedebat, et crux eius erat post illum.

27. Sequebatur autem eum populus multus, et mulieres, quae lamentabantur et aestuabant propter Iesum.

28. Conversus autem ad illas Iesus, dixit: Filiae Ierusalem, nolite flere super me, super vos ipsas flete, et super filios vestros.

29. Venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quae non lactaverunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos.

31. Si enim in viridi ligno sic faciunt, in arido quid fiet?

32. Ducebantur autem alii duo nequam cum Iesu, ut interficerentur.

33a. Et cum venissent in locum, qui vocatur Calvaria,

Ioan. XIX, 17c. hebraice autem dicitur Golgotha,

Luc. XXIII, 33b. ibi crucifixerunt eum. Crucifixerunt cum eo duos illos nequam, unum a dextris, et alterum a sinistris.

Marc. XV, 28. Et impleta est Scriptura, quae dicit: Cum iniquis reputatus est.

23a. Et dederunt ei bibere vinum et myrrham,

Matth. XXVII, 34b. et acetum cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere,

Marc. XV, 23c. et non accepit.

Ioan. XIX, 23. Milites autem, cum crucifixissent Iesum, acceperunt vestimenta eius, et sciderunt in quatuor partes, unicuique militum cohorti partem. Erat autem eius tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

24. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed coniiciamus in eam sortem, cuius sit. Et adimpleta est Scriptura, quae dicit: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Hoc fecerunt milites.

Matth. XXVII, 36. Et sedentes ibi, custodiebant eum.

Ioan. XIX, 19. Scripsit autem in tabula Pilatus titulum mortis eius, et posuit super lignum crucis desuper caput eius. Et ita scriptum erat in ea: Hic est Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum.

20. Et hanc paginam multi Iudaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus; et erat scriptum hebraice, graece et latine.

21. Dixerunt ergo Pilato principes Sacerdotum: Noli scribere: Rex Iudaeorum; sed ipse est, qui dixit: Quia ego rex sum Iudaeorum.

22. Dixit illis Pilatus: Quod scriptum est, scriptum est.

Luc. XXIII, 35a. Et stabat populus spectans;

Matth. XXVII, 39. praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua,

40a. et dicentes:

Marc. XV, 29b. Vah, destruens templum Dei, et in tribus diebus reaedificans!

Matth. XXVII, 40b. salva temetipsum si Filius Dei es, et descende de cruce.

41. Et similiter principes Sacerdotum et Scribae et seniores et Pharisaei illudebant ei, et ridebant ad invicem, dicentes:

42ª. Aliorum salvator non potest seipsum salvum facere:

Luc. XXIII, 35ᵇ. si est Messias Dei electus, et rex Israel,

Matth. XXVII, 42ᵇ. descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus ei.

43. Confisus in Deo, liberet nunc eum, si complacet sibi in eo: dixit enim: Filius Dei sum.

Luc. XXIII, 36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei,

37. dicentes ei: Si es rex Iudaeorum, salva temetipsum.

Matth. XXVII, 44. Similiter et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Luc. XXIII, 39. Unus autem ex illis duobus facinorosis, qui crucifixi erant cum eo, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Messias, salvum fac temetipsum, et salva nos etiam.

40. Increpavit autem eum socius eius, dicens ei: Non times et tu Deum, cum sis in eadem damnatione?

41. Nos quidem iuste, et sicut meruimus, ac digna factis recipimus: hic autem nihil sane reprehensione dignum gessit.

42. Et dixit ad Iesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum.

43. Dixit illi Iesus: Amen, dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

Ioan. XIX, 25. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, et soror matris eius, Maria, quae denominatur a Cleopha, et Maria Magdalene.

26. Iesus autem vidit matrem suam, et discipulum, quem diligebat, stantem, et dixit matri suae: Mulier, ecce filius tuus.

27. Et ait discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus sibi.

Matth. XXVII, 45ª. A sexta autem hora tenebrae occupaverunt universam terram,

Luc. XXIII, 44ᶜ. usque ad horam nonam,

45ª. et obscuratus est sol.

Marc. XV, 34. Et hora nona exclamavit Iesus voce magna, dicens: Jaiil, Jaiilî, cur me dereliquisti? id est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

Matth. XXVII, 47. Quidam autem illic stantes, ut audierunt, dixerunt: Eliam vocat iste.

## CAPUT LII.

Ioan. XIX, 28. Post haec sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

29ª. Vas autem erat positum aceto plenum:

Matth. XXVII, 48ª. et continuo currens unus ex eis, accepit spongiam, et implevit aceto illo,

Marc. XV, 36ᵇ. circumponensque eam calamo, porrexit ad os eius, ut potum daret ei.

Ioan. XIX, 30ª. Cum autem accepisset Iesus acetum, dixit: Consummata sunt omnia.

Matth. XXVII, 49. Ceteri vero dicebant: Sinite, videamus, an veniat Elias ad liberandum eum.

Luc. XXIII, 34ª. Iesus autem dixit: Pater mi, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.

46ª. Et clamans iterum voce magna Iesus, ait: Pater mi, in manus tuas commendo spiritum meum. Haec dixit,

Ioan. XIX, 30ᵇ. et, inclinato capite, tradidit spiritum.

Matth. XXVII, 51. Et statim facies ianuae templi scissa est in duas partes a summo usque deorsum; et terra mota est, et petrae scissae sunt,

52. et monumenta aperta sunt; et multorum sanctorum corpora, qui dormierunt, surrexerunt, et egressa sunt.

53. Et post resurrectionem eius ingressa sunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

54ª. Centurio autem, et qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terrae motu et his, quae fiebant, timuerunt valde.

Luc. XXIII, 47ᵇ. et glorificaverunt Deum dicentes: Hic homo iustus erat:

Matth. XXVII, 54b. et: Vere erat Filius Dei.

Luc. XXIII, 48. Et omnes turbae, quae convenerant ad spectaculum, videntes quid acciderat, reversae sunt percutientes pectora sua.

Ioan. XIX, 31. Iudaei autem, quia Parasceve erat, dixerunt: Non remaneant corpora haec super lignum, quia aurora sabbati est; erat enim magnus dies ille sabbati. Petierunt itaque a Pilato, ut frangerentur crura eorum, qui crucifixi erant, et tollerentur.

32. Venerunt ergo milites, et primi fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo.

33. Ut autem venerunt ad Iesum, viderunt eum iam mortuum, et non fregerunt eius crura;

34. sed unus militum lancea latus eius perforavit, et continuo exivit sanguis et aqua.

35. Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius; et ille scit, quia verum dicit, ut et vos credatis.

36. Haec facta sunt, ut Scriptura impleretur, quae dicit: Os non comminuetur in eo.

37. Et etiam Scriptura, quae dicit: Intuiti sunt, quem transfixerunt.

Luc. XXIII, 49a. Stabant autem omnes noti Iesu a longe, et mulieres, quae venerant cum eo a Galilaea;

Marc. XV, 41b. quae sequebantur eum, et ministrabant ei,

Matth. XXVII, 56a. quarum una erat Maria Magdalene.

Marc. XV, 40b. et Maria, mater Iacobi minoris et Iusa,

Matth. XXVII, 56c. et mater filiorum Zebedaei,

Marc. XV, 40c. et Salome,

41c. et aliae multae, quae cum eo ascenderant Ierosolymam,

Luc. XXIII, 49c. haec videntes.

Marc. XV, 42. Et cum advenisset vespera parasceve ob ingressum sabbati,

Luc. XXIII, 50. venit vir nomine Ioseph, dives et decurio, ab Arimathaea civitate Iudaeae, qui erat vir bonus et rectus,

Ioan. XIX, 38b. ac discipulus Iesu; qui occultabat se, timens a Iudaeis;

Luc. XXIII, 51. non consenserat autem consilio et actibus perditorum, et exspectabat regnum Dei.

Marc. XV, 43b. Accedens ergo iste, introivit ad Pilatum, et petiit ab eo corpus Iesu.

44. Pilatus autem miratus est, quomodo iam mortuus esset. Et accersito Centurione, interrogavit eum de morte eius ante tempus.

45a. Et cum cognovisset,

Matth. XXVII, 58b. praecepit ei, ut redderet Ioseph corpus eius.

Marc. XV, 46a. Ioseph autem mercatus sindonem mundam, et deponens corpus Iesu, involvit in ea.

Ioan. XIX, 38b. Venientes ergo, sustulerunt illud.

39. Venit autem ad eum et Nicodemus, qui antea venerat ad Iesum nocte, ferens secum mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Iesu, et volverunt illud linteis et aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire.

41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est Iesus, hortus; et in horto monumentum novum excisum in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat.

42. Ibi ergo propter ingrediens sabbatum, et quia iuxta erat monumentum, deposuerunt Iesum.

Matth. XXVII, 60b. Et advolventes saxum magnum, proiecerunt ad ostium monumenti, et abierunt.

Marc. XV, 47a. Maria autem Magdalene, et Maria denominata a Iusa, venerunt post eos ad monumentum,

Luc. XXIII, 55b. et sederunt contra monumentum, videntes quomodo introduxerint, et posuerint ibi corpus.

56a. Et revertentes,

Marc. XVI, 1b. emerunt aromata, et unguenta, et reversae sunt, ut venirent, et ungerent illud.

Luc. XXIII, 56b. Die autem, qui erat dies sabbati, se abstinuerunt propter mandatum:

Matth. XXVII, 62b. convenerunt autem principes Sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum,

63. et dixerunt ei: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

64. Praeveni ergo, custodi sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli eius, et furentur eum noctu, et dicant plebi: Quia surrexit a mortuis; et erit novissimus error peior priore.

65. Ait illis: Non habetis vos custodiam? Ite, custodite, sicut scitis.

66. Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus.

XXVIII, 1a. Vespere autem sabbati, quae est aurora primae sabbati,

Luc. XXIV, 1a. valde diluculo post reliquos,

Matth. XXVIII, 1b. venit Maria Magdalene, et altera Maria, ac mulieres aliae videre sepulcrum,

Luc. XXIV, 1b. portantes, quae paraverant aromata.

Marc. XVI, 3. Et dicebant in semetipsis: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4b. Erat quippe magnus valde.

Matth. XXVIII, 2a. Et cum ita dicerent, factus est terrae motus magnus; et Angelus descendit de caelo, et accedens revolvit lapidem ab ostio.

Luc. XXIV, 2. Et venientes, invenerunt lapidem revolutum a monumento;

Matth. XXVIII, 2c. et Angelum sedentem super lapidem;

3. erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimentum eius album sicut nix.

4. Prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

Luc. XXIV, 3. Et cum abiisset, mulieres ingressae sunt monumentum, et non invenerunt corpus Iesu.

Marc. XVI, 5b. Viderunt autem ibi iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida; et obstupuerunt.

Matth. XXVIII, 5. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos; scio enim, quod Iesum Nazarenum, qui crucifixus est, quaeritis:

6. non est hic, surrexit enim, sicut dixit: venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus noster.

## CAPUT LIII.

Luc. XXIV, 4. Et dum ipsae consternatae essent de isto, ecce, duo viri steterunt desuper illas in veste fulgenti.

5. Cum autem terrore correptae essent, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quaeritis viventem cum mortuis?

6. Non est hic, surrexit: recordamini quod locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset,

7. dicens: Quia futurum est, ut Filius hominis tradatur in manus peccatorum, et crucifigatur, et die tertia resurgat.

Matth. XXVIII, 7a. Sed cito euntes, dicite discipulis eius et Cephae, quia surrexit a mortuis: et ecce ipse praecedet vos in Galilaeam,

Marc. XVI, 7b. et ibi eum videbitis, ubi dixit vobis:

Matth. XXVIII, 7c. ecce, dixi vobis.

Luc. XXIV, 8. Et ipsae recordatae sunt verborum eius.

Matth. XXVIII, 8a. Et discesserunt cito de monumento cum gaudio et timore magno, et festinantes abierunt;

Marc. XVI, 8b. invaserat enim eas tremor et pavor; et nemini quidquam dixerunt, timebant enim.

Ioan. XX, 2. Cucurrit autem Maria, et venit ad Simonem Cepham, et ad illum discipulum alium, quem amabat Iesus, et dixit illis: Tulerunt Dominum nostrum de monumento, et nescio ubi posuerunt eum.

3. Exiit ergo Simon, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo simul, et ille discipulus festinavit, et praecessit Simonem, et venit primum ad monumentum.

5. Et aspiciens, vidit posita linteamina, non tamen introivit.

6. Venit post eum Simon, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita,

7. et sudarium, quo obvolutum fuerat caput eius, non erat cum linteaminibus; sed involutum, et positum contra in loco quodam.

8. Tunc introivit discipulus ille, qui venerat primum ad monumentum, et vidit, et credidit;

9. nondum enim sciebant ex Scripturis, quia Messias resurrecturus erat a mortuis.

10. Et abierunt duo illi discipuli ad locum suum.

11. Maria autem stabat apud monumentum plorans. Dum ergo fleret, prospexit in monumentum,

12. et vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ex parte pulvinaris eius, et alterum ex parte pedum eius, ubi positum fuerat corpus Iesu.

13. Dixerunt autem ei: Mulier, quid ploras? Dixit eis: Tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi deposuerunt eum.

14. Haec dicens, conversa est retrorsum, et vidit Iesum stantem, et non sciebat, quia Iesus esset.

15. Dixit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem quaeris? Et illa, existimans eum esse hortulanum, dixit: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, ut eam, et tollam illum.

16. Dixit ei Iesus: Maria. Et conversa, dixit ei hebraïce: Rabboni; quod interpretatur Magister.

17. Ait illi Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.

Marc. XVI, 9. Et prima sabbati, qua surrexit, apparuit primo Mariae Magdalene, de qua eiecerat septem daemonia.

Matth. XXVIII, 11b. Quidam autem de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus Sacerdotum omnia, quae acciderant.

12. Et congregati cum senioribus, consilio inito, pecuniam haud paucam dederunt custodibus,

13. dicentes illis: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.

14. Et si praeses hoc audierit, nos apud eum respondebimus, et securos a conviciis vos faciemus.

15. Et illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud inter Iudaeos usque hodie.

Ioan. XX, 18. Et tunc venit Maria Magdalene, et annuntiavit discipulis, se vidisse Dominum nostrum, et haec ei dixisse.

Matth. XXVIII, 8b. Et cum irent mulieres illae in via, ut nuntiarent discipulis,

9. occurrit illis Iesus, dicens: Avete. Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum.

10. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere: sed ite, dicite fratribus meis, ut eant in Galilaeam, et ibi me videbunt.

Luc. XXIV, 9. Et regressae mulieres illae, nuntiaverunt haec omnia undecim, et ceteris discipulis,

Marc. XVI, 10b. et his, qui cum eo fuerant, quia erant tristes et flentes.

Luc. XXIV, 10. Et ipsae erant Maria Magdalene, et Ioanna, et Maria mater Iacobi, et ceterae, quae cum eis erant, et hae fuerunt, quae dixerunt ad Apostolos.

Marc. XVI, 11. Et illi, cum audissent eas dicentes, quod ipse viveret, et apparuisset eis, non crediderunt.

Luc. XXIV, 11a. Et verba ista erant in oculis eorum tamquam verba delirantis.

Marc. XVI, 12a. Post haec ostensus est duobus ex eis

Luc. XXIV, 13b. ipsa die, cum irent in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emmaus,

14. et loquerentur ad invicem de his omnibus, quae acciderant.

15. Dum enim fabularentur, et secum quaererent, venit Iesus, et pervenit usque ad eos, et ambulabat cum illis;

16. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

18. Respondit unus eorum, cui nomen Cleophas, et ait illi: Tu solus alienus es a Ierusalem, cum non cognoveris, quae facta sunt in illa his diebus?

19. Dixit illis: Quid accidit? Dixerunt ei: De Iesu illo Nazareno, qui fuit vir Propheta, et potens in sermone et operibus coram Deo, et omni populo:

20. quem tradiderunt summi sacerdotes et seniores in damnationem mortis, et crucifixerunt eum:

21. nos autem putabamus, quia ipse esset redempturus Israel: et haec omnia tribus abhinc diebus facta sunt.

22. Sed et mulieres quaedam ex nostris nuntiaverunt nobis, ipsas accessisse ad monumentum,

23. et, non invento corpore eius, venisse et dixisse, se Angelos illic vidisse, qui dixerunt de eo, quod vivat.

24. Et etiam quidam ex nostris abierunt ad monumentum, et ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, absque eo, quod vidissent eum.

25. Tunc ait illis Iesus: O mente destituti, et gravi corde ad credendum! Nonne iuxta omnes sermones Prophetarum

26. oportebat, Messiam haec omnia pati, et intrare in gloriam suam?

27. Et incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis ex omnibus scripturis, quae de se ipso erant.

28. Et appropinquaverunt castello, quo ibant; et ipse in opinionem eos duxit, quasi in longiorem regionem esset iturus.

29. Et coegerunt illum, dicentes ei: Mane apud nos, quia dies iam declinavit ad tenebras. Et intravit, ut consisteret apud illos.

30. Et dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et dedit illis.

31. Et statim aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum; et evanuit ab eis.

32. Dixerunt autem ad invicem: Nonne cor nostrum grave erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et interpretaretur nobis scripturas?

33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum illis erant,

34. et illi dixerunt: Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.

35. Ipsi vero narrarunt, quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum cum frangeret panem;

Marc. XVI, 13b. nec ista crediderunt.

## CAPUT LIV.

Luc. XXIV, 36a. Dum autem ipsi colloquerentur,

Ioan. XX, 19. et advenisset vespera diei illius, quae erat prima sabbati, et fores essent clausae, ubi erant discipuli propter metum Iudaeorum, venit Iesus, et stetit in medio eorum, et dixit eis: Pax sit vobiscum:

Luc. XXIV, 36b. ego sum, nolite timere.

37. Et ipsi conturbati et conterriti, existimabant se spiritum videre.

38. Dixit eis Iesus: Quid turbati estis? et quid cogitationes ascendunt in corda vestra?

39. Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum: palpate me, et scitote, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.

40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes et latus.

41. Adhuc autem illis non credentibus prae gaudio et stupore, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi et mellis.

43a. Et sumens, comedit coram eis.

44. Et dixit ad eos: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me.

45. Tunc aperuit mentem eorum, ut intelligerent scripturas.

46. Et dixit eis: Sic scriptum est, et sic oportebat Messiam pati, et resurgere a mortuis tertia die,

47. et praedicari in nomine eius poenitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes: initium autem erit a Ierusalem.

48. Vos autem huius testes eritis.

49ª. Et ego mittam promissum Patris mei ad vos.

Ioan. XX, 20ᵇ. Hoc audientes discipuli, gavisi sunt.

21. Iesus autem dixit eis iterum: Pax sit vobiscum. Sicut misit me Pater meus, et ego mitto vos.

22. Haec cum dixisset, insufflavit in eos, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:

23. si cuius remiseritis peccata, remittentur ei, si cuius retinueritis ea, retenta erunt.

24. Thauma vero unus ex duodecim, qui dicitur Thoma, non erat cum discipulis ibi, quando venit Iesus.

25. Dixerunt ergo ei discipuli: Vidimus Dominum nostrum. Dixit eis: Nisi videro ego in manibus eius loca clavorum, et mittam in ea digitos meos, et immittam manum meam in latus eius, non credam.

26. Et post dies octo, in dominica altera, iterum erant congregati discipuli intus, et Thauma cum eis. Et venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit eis: Pax sit vobiscum.

27. Et dixit Thaumae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et extende manum tuam, et admove ad latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.

28. Respondit Thauma, et dixit ei: Dominus meus et Deus meus.

29. Dixit ei Iesus: Nunc quia vidisti me, credidisti: beati, qui non viderunt et crediderunt.

30. Et multa alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc.

31. Haec autem et scripta sunt, ut credatis in Iesum Messiam Filium Dei, et ut, credentes, vitam aeternam habeatis in nomine eius.

XXI, 1. Et post haec manifestavit se iterum Iesus discipulis suis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem se illis sic:

2. Erant simul Simon Cephas, et Thauma, qui dicitur Thoma, et Nathanael, qui erat a Qatna Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis duo.

3. Dixit eis Simon Cephas: Vado piscari pisces. Dixerunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navim; et illa nocte nihil prendiderunt.

4. Mane autem facto, stetit Iesus in littore maris; discipuli autem nesciebant, quia Iesus esset.

5. Dixit ergo eis Iesus: Pueri, habetis aliquid, quod manducetur? Dixerunt ei: Non.

6. Dixit eis: Mittite in dexteram navigii rete vestrum, et invenietis. Miserunt ergo; et non valebant trahere rete prae multitudine piscium, qui venerant in eam.

7. Dixit autem discipulus ille, quem diligebat Iesus, Cephae: Dominus noster est iste. Et Simon cum audisset, quia Dominus noster esset, sumsit tunicam, et praecinxit eam ad lumbos, erat enim nudus, et misit se in mare, ut veniret ad Iesum.

8. Alii autem discipuli navigio venerunt, non enim longe erant a terra, nisi circiter cubitis ducentis, trahentes rete piscium.

9. Ut autem ascenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.

10. Dixit eis Iesus: Afferte de istis piscibus, quos prendidistis nunc.

11. Ascendit ergo Simon Cephas, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et tanto pondere, non est scissum rete.

12. Dixit eis Iesus: Venite, discumbite. Et nemo audebat ex discipulis interrogare, quis esset: scientes, quia Dominus noster esset. Sed non apparuit eis in sua specie.

13. Et accessit Iesus, et accepit panem et piscem, et dedit eis.

14. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.

15. Cum ergo prandissent, dixit Iesus Simoni Cephae: Simon, fili Iona, diligis me plus his? Dixit ei: Etiam, Domine: tu scis, quia amo te. Dixit ei Iesus: Pasce mihi agnos meos.

16. Dixit ei et iterum: Simon, fili Iona, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine: tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce mihi hircos meos.

17. Dixit ei et tertio: Simon, fili Iona, amas me? Et aegre ferens Cephas, quia dixit tertio: Amas me? ait illi: Domine, tu omnia cognoscis: tu scis, quia ego amo te. Dixit ei Iesus: Pasce mihi oves meas.

18. Amen, amen dico tibi: Cum esses iuvenis, cingebas te, et ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis.

19. Hoc dixit ei, ut significaret, qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, ait illi: Veni post me.

20. Conversus autem Simon Cephas, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem se, illum, qui recubuit in coena super pectus Iesu, et dixit: Domine, quis est, qui tradet te?

21. Hunc ergo cum vidisset Cephas, dixit Iesu: Domine, hic autem, quid erit de eo?

22. Dixit ei Iesus: Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te? tu me sequere.

23. Divulgatus est autem sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit Iesus: Non moritur; sed: Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te?

24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit ea; et scimus, quia verum est testimonium eius.

## CAPUT LV.

Matth. XXVIII, 16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam in montem, ubi constituerat illis Iesus.

17. Et videntes eum adoraverunt; quidam autem ex eis dubitaverunt.

Marc. XVI, 14. Et cum sederent ibi, iterum apparuit eis, et exprobravit defectum fidei eorum, et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

Matth. XXVIII, 18. Tunc ait illis Iesus: Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra:

Ioan. XX, 21$^{b}$. sicut enim misit me Pater meus, ita et ego mitto vos:

Marc. XVI, 15$^{b}$. ite ergo in mundum universum, et praedicate Evangelium meum omni creaturae;

Matth. XXVIII, 19. et docete omnes gentes, ac baptizate eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti:

20. docentes eos servare omnia, quae mandavi vobis: et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem mundi.

Marc. XVI, 16. Qui enim crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos, qui in me crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia eiicient, et linguis loquentur novis,

18. serpentes tollent, et si venenum mortiferum biberint, non eis nocebit, super aegros manus imponent, et bene habebunt.

Luc. XXIV, 49$^{b}$. Vos autem manete in civitate Ierusalem, quoadusque induamini virtute ex alto.

Marc. XVI, 19$^{a}$. Et Dominus noster Iesus, postquam locutus est eis,

Luc. XXIV, 50. eduxit eos in Bethaniam, et, elevatis manibus suis, benedixit eis.

51. Et dum benediceret illis, divisus est ab eis, et ascendit in caelum,

Marc. XVI, 19$^{c}$. et sedit a dextris Dei.

Luc. XXIV, 52. Et ipsi, adorantes eum, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno;

53. et omni tempore erant in templo laudantes et benedicentes Deum. Amen.

Marc. XVI, 20. Et, inde egressi, praedicaverunt ubique, Domino cooperante et eorum sermones confirmante cum signis, quae faciebant.

Ioan. XXI, 25. Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum, arbitror, mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

---

Absolutum est Evangelium, quod Tatianus collegit e quatuor Evangeliis sanctorum Apostolorum et beatorum quatuor Evangelistarum, quibus sit pax, quod Diatessaron, i. e. *Quaternarium,* nuncupavit. Ex syriaco in arabicum transtulit eximius doctor Presbyter Abû-l-Pharag Abdullah Ben-at-Tîb, in quo Deus sibi complaceat, ab exemplari exarato manu Ghobasî ben Alî Almottayeb, discipuli Honain ben Ishac, quorum Deus misereatur. Amen.

# ORDO DIATESSARI IN VERSIONE ARABICA

---

Cap. I.

*Joan.* I, 1-5.
*Luc.* I, 5-80.

Cap. II.

*Matth.* I, 18-25ª.
*Luc.* II, 1-39.

Cap. III.

*Matth.* II, 1ᵇ-23.
*Luc.* II, 40-III, 1-3.
*Matth.* III, 1ᵇ-3ª.
*Luc.* III, 4ᵇ-6.
*Joan.* I, 7-17.

Cap. IV.

*Ioan.* I, 18-28.
*Matth.* III, 4-10.
*Luc.* III, 10-18.
*Matth.* III, 13.
*Luc.* III, 23ª.
*Joan.* I, 29-31.
*Matth.* III, 14-15.
*Luc.* III, 21ᵇ.
*Matth.* III, 16ᵇ.
*Luc.* III, 22ª.
*Matth.* III, 17.
*Joan* I, 32-34.
*Luc.* IV, 1ª.
*Marc.* I, 12-13ᵇ.
*Matth.* IV, 2ª.
